DE VOCABULIS QUIBUSDAM ITALAE ET VULGATAE CHRISTIANIS

QUAESTIONES LEXICOGRAPHAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

WALTER MATZKOW

BEROLINENSIS

DIES RIGOROSI: 1. XII. 1932
DIES PROMOTIONIS: 1. III. 1933

BEROLINI MCMXXXIII

TYPIS EXPRESSERUNT WILHELM PILZ & NOACK

59

AD ORDINEM RETTULERUNT
PROF. DR. E. NORDEN
PROF. DR. W. JAEGER

R. UNIV.
BIBLIOTHEEK
LEIDEN

EDUARDO NORDEN

S.

ARGUMENTI DISPOSITIO

Cum Vetus Testamentum ex Hebraeo sermone in Graecum transferretur, Graeci multas sententias religionis Iudaeorum proprias suis verbis exprimere non potuerunt. Itaque aut nova vocabula finxerunt aut vocabulis iam antea usitatis novam vim praebuerunt. Eadem res apud Romanos quoque accidit, cum Litterae Sanctae in sermonem Latinum transferrentur. Qua de causa sermo Latinus multis vocabulis amplificatus est, quae apud priores scriptores Latinos aut omnino desunt aut aliam sententiam exprimunt.

Praeter eam versionem Litterarum Sanctarum, quam ab Hieronymo saeculo quarto p. Chr. n. factam Vulgatam appellamus, complures textus traditi sunt, quorum de origine certi nihil constat et quos, etsi a compluribus interpretibus eos creatos esse verisimile est, uno Italae nomine complectimur. Permultis locis singuli codices, quamquam variae fuerunt interpretandi rationes, quas interpretes sequi potuerunt, inter se congruunt. Nonnumquam alteram versionem ex altera correctam esse consentaneum est atque complures codices ex una versione antiqua orti esse videntur[1]), tamen ignoramus, quibus auctoribus, quibus temporibus, in quibus imperii Romani regionibus singulae versiones creatae sint[2]).

Multa nova vocabula, quae in Italae codicibus occurrunt, etiam in Tertulliani scriptis legimus, sed Tertullianum ipsum Italae versionem non creavisse apparebit ex ea re, quod ut Tertullianus nonnumquam vocabulis utitur, quae in Italae codicibus non oc-

---

1) Evangeliorum codices inter se comparavit et textum secundum codices a, b, ff, g, i, q edidit H. J. Vogels, Vulgatastudien, Münster 1928.

2) De versionibus Latinis cf. etiam §§ 772 sq. Martini Schanz operis, quod inscribitur Geschichte der römischen Literatur 3³, a Gustavo Krüger scriptas.

currunt, ita Italae codicibus vocabula quaedam traduntur, quae Tertullianus aut omnino ignoravit aut adhibere noluit.

Imprimis autem id spectare volumus, quanti fuerint momenti Litterae Sanctae et in novis verbis creandis et in vi antiquorum mutanda. Tum porro, utrum Itala et Vulgata iisdem semper vocabulis utantur an Hieronymus nova vocabula, quae Italae interpretes et ceteri priores scriptores nondum noverunt, fingat an vocabula, quae in Italae codicibus legimus, non iam adhibeat, inquiremus atque in quo codice aut apud quem scriptorem ecclesiasticum, sive Tertullianum, sive Cyprianum sive alium nova vocabula primum occurrant. Ex compluribus vocabulis collectis et inquisitis haec decem elegi, quae quomodo ab interpretibus Litterarum Sanctarum in sermone Latino reddantur infra demonstrabo:

1. *ἀποκαλύπτειν, ἀποκάλυψις*
2. *σωτήρ, σώζειν*
3. *εὐαγγέλιον, εὐαγγελιστής, εὐαγγελίζεσθαι*
4. *μετάνοια, μετανοεῖν* etc.
5. *βαπτίζειν, βαπτιστής, βαπτισμός, βάπτισμα*
6. *ἁγιάζειν, ἁγιασμός*
7. *δικαιοῦν, δικαίωσις, δικαίωμα, δικαιοσύνη*
8. *ἀφθαρσία, ἄφθαρτος*
9. *κληρονομία, κληρονομεῖν*
10. *δοξάζειν.*

Ut hoc propositum peragerem hanc rationem secutus sum: Ex Veteris et Novi Testamenti indicibus[3]) et ex indice Patrum apostolicorum operum[4]) eos locos collegi, quibus vocabula electa occurrunt. Tum postquam quibus vocabulis Graeca illa in Vulgata redderentur quaesivi, comparavi quae singulis Italae codicibus traderentur. Has Italae fragmentorum editiones adhibui[5]):

1. Novum Testamentum:
   a = cod. Vercellensis (evv).: Collectanea Biblica Latina III, Rom 1914.

---

[3]) Hatch and Redpath, A Concordance to the Septuagint, Oxford 1897; C. H. Bruder, Concordantiae Novi Testamenti[6], Göttingen 1904.

[4]) E. J. Goodspeed, Index patristicus, Lipsiae 1907. Antiquas Patrum apostolicorum versiones Latinas non esse neglegendas putavi.

[5]) Nondum singula fragmenta una editione collecta esse valde dolendum est. Adolphum Iuelicher ut talem editionem curaret sibi proposuisse nuper audivi.

aur = cod. aureus (evv.) ed. I. Belsheim, Christiania 1878.

b = cod. Veronensis (evv.): Old Latin Biblical Texts VI, Oxford 1911.

c = cod. Colbertinus (evv.): Belsheim, Codex Colbertinus Parisiensis, Christiania 1888.

d = cod. Bezae Cantabrigiensis (evv., acta): ed. Scrivener, Cambridge 1864.

d = cod. Claromontanus (Paulus) ed. Tischendorf, Lipsiae 1852.

e = cod. Palatinus (evv.) ed. Tischendorf, Evangelium Palatinum, Lipsiae 1847.

e = cod. Laudianus (acta) ed. Tischendorf, (Monumenta sacra inedita IX), Lipsiae 1870.

f = cod. Brixianus (evv.) ed. Wordsworth-White, Novum Testamentum Latine, Oxford 1889ff. (in margine inferiore).

f = cod. Augiensis (Paulus): Scrivener, An exact transscript of the cod. Aug., Cambridge 1859.

ff = cod. Corbeiensis (Iac.): I. Belsheim, Das Evangelium des Matthaeus nach d. lat. Cod. ff_1 Corbeiensis, Christiania 1881.

ff_1 = cod. Corbeiensis I (Matth.): I. Belsheim l. c.

ff_2 = cod. Corbeiensis II (evv.): E. S. Buchanan (Old Lat. Bibl. Texts V) Oxford 1907.

g_1 = cod. Sangermanensis I (Matth.): I. Wordsworth (Old Lat. Bibl. Texts I), Oxford 1883.

g = cod. Gigas (acta, apoc.): I. Belsheim, Die Apostelgeschichte und die Offenbarung Johannis in e. alten lat. Übers. aus d. ,,Gigas librorum", Christiania 1879; H. J. Vogels, Untersuchungen zur Geschichte der lat. Apokalypseübersetzung, Düsseldorf 1920.

g_2 = fr. Mediolanensia (acta 6, 8—7, 2; 7, 51—8, 4): Ceriani, Monumenta sacra et profana I 2, Mailand 1866.

g = cod. Boernerianus (Paulus) ed. Matthaei, Meißen 1791.

gat = evang. Gatianum ed. I. M. Heer, Freiburg i. B. 1910.

h = cod. Claromontanus (Matth.): J. Belsheim, Evangelium secundum Matthaeum ante Hieronymum Latine translatum e codice olim Claromontano nunc Vaticano, Christiania 1892.

h = cod. Floriacensis (fr. act. epp. cathol. apoc.): E. S. Buchanan (Old Lat. Bibl. Texts V), Oxford 1907.

i = cod. Vindobonensis (fr. Luc. Matth.): J. Belsheim, Codex Vindobonensis, Leipzig 1885.

k = cod. Bobbiensis (fr. Matth. Marc.): Wordsworth - Sanday (Old Lat. Bibl. Texts II), Oxford 1886.

l = cod. Rehdigeranus (evv.): H. J. Vogels (Collectanea Biblica Latina II), Rom 1913.

m = Ps. Augustini Speculum ed. Weihrich (CSEL 12, 289sqq.).

n (= n o p a_2) = fr. Sangallensia (fr. evv.): H. J. White (Old Lat. Bibl. Texts II) Oxford 1886.

p = cod. Perpinianus (acta 1, 1 — 13, 6; 28, 16—31): S. Berger, Un ancient texte latin des Actes des Apôtres . . tiré des notices et extraits des manuscrits de la bibl. nat. et autres bibliothèques, tom. XXXV, Ire partie, Paris 1895.

q = cod. Monacensis (evv.): H. J. White (Old Lat. Bibl. Texts III) Oxford 1888.

r (= r_1 r_2) = codd. Usseriani (evv.): T. K. Abbott, Evangeliorum versio antehieronymiana ex codice Usseriano, Dublin 1884.

r = fr. Frisingensia (Paulus, epp. cathol.): De Bruyne (Collectanea Biblica Lat. V), Rom 1921.

s = fr. Ambrosiana (fr. Luc.): Wordsworth-White (Old Lat. Bibl. Texts II), Oxford 1886.

s = pal. Bobbiensis (fr. acta Iac. 1. Petr.), H. J. White (Old Lat. Bibl. Texts IV), Oxford 1897.

t = fr. Bernensia (fr. Marci): H. Hagen (Old Lat. Bibl. Texts II), Oxford 1886.

t = liber comicus (fr. acta): G. Morin, Anecdota Maredsolana I, Maredsous 1893.

v = fr. Vindobonense (Ioh. 19, 27—20, 11): H. J. White (Old Lat. Bibl. Texts III), Oxford 1888.

Tert.: Hermann Roensch, Das Neue Testament Tertullians, Leipzig 1871.

Cypr.: Hans v. Soden, Das lat. Neue Testament in Afrika zur Zeit Cyprians (Texte u. Unters. 33), Leipzig 1909.

Ir.: Novum Testamentum Sancti Irenaei ed. Sanday — Turner (Old Lat. Bibl. Texts VII), Oxford 1923.

Prim. = Primasius: H. J. Vogels, Untersuchungen zur Gesch. d. lat. Apokalypseübersetzung, Düsseldorf 1920.

2. Vetus Testamentum:

Cod. Lugdunensis ed. Robert, Pentateuchi e codice Lugdunensi versio Latina antiquissima, Paris 1881 et Heptateuchi partis posterioris versio Latina antiquissima, Lyon 1900.

Cod. Wirceburgensis ed. Ranke, Par palimpsestorum, Wien 1871.

Liber Psalmorum iuxta antiquissimam Latinam versionem . . ex Casinensi codice cur. D. A. M. Amelli (Collectanea Biblica Latina I), Rom 1912.

3. Patres apostolici:

Clementis epistula prima: G. Morin, Sancti Clementis Romani ad Corinthios epistulae versio Latina antiquissima (Anecdota Maredsolana II), Maredsous 1894.

Barnabae epistula: J. M. Heer, Die Versio Latina des Barnabasbriefes und ihr Verhältnis zur altlat. Bibel, Freiburg 1908.

Polycarpi epistula ad Philippenses: Gebhardt-Harnack-Zahn, Patrum apostolicorum opera, Lipsiae 1875—78.

Hermae Pastor: versio Palatina: Gebhardt-Harnack-Zahn, Patrum apost. opera, Lipsiae 1875—78. — versio Vulgata: Hermae Pastoris veterem Lat. interpretationem e codd. edidit A. Hilgenfeld, Leipzig 1873.

Didache: fr. Melk: A. Harnack, Lehre der XII Apostel (Texte u. Unters. II 2, p. 275ff.), Leipzig 1893. — J. Schlecht, Doctrina XII apostolorum una cum antiqua versione Latina prioris partis de duobus viis (cod. Monacensis), Freiburg 1900.

Novi Testamenti reliquiis magis quam Veteris studui, quod tam pauca sunt Veteris Testamenti fragmenta, ut certi quicquam ex iis concludi non possit, et quod, cum Italae interpretes Vetus Testamentum ex Graeco sermone in Latinum transtulisse videantur, Hieronymus plerumque ex sermone Hebraico transtulit, qua de causa Vulgatam crebro cum Italae versionibus discrepare non est mirandum. Tum, ut cognosceremus, quibus locis in sermone Latino vocabula tractata antea occurrerent atque qua vi adhiberi solerent, schedas Thesauri Linguae Latinae Monaci inspexi[6]) nec displicuit

[6]) Viris doctissimis Dittmann, Heye, Hofmann, Koestermann, qui me benigne adiuverunt, hoc loco liceat mihi meritas agere gratias.

inquirere, qui scriptores Latini posteriores a Tertulliano usque ad Hieronymum nova illa vocabula aut adhiberent aut vitarent, etsi non deerunt qui me indices tantum contulisse dicant. Sic enim bene cognosci posse puto, quanti fuerint momenti Litterarum Sanctarum versiones in sermone Latino novis vocabulis ornando.

Plerumque iis editionibus scriptorum Latinorum usus sum, quas in Thesauri Linguae Latinae indice allatas invenies, sed nonnulla opera Tertulliani[7]) et epistulas Hieronymi nunc legimus in novis editionibus[8]). Cetera opera, quibus nixus sum, infra singulis locis allata invenies. Hic Hermanni Roensch libros tantum laudare liceat[9]), qui quamquam multis auxiliis quibus nos adiuvamur, caruit, tamen de quaestionibus, quae ad Italae et Vulgatae sermonem pertinent, optime meritus est et operibus suis nobis multum profuit, neque Gustavi Koffmane[10]) et Francisci Kaulen[11]) opera magno mihi fuisse emolumento negaverim.

ἀποκαλύπτειν, ἀποκάλυψις

In Novo Testamento Graeco saepe verbum *ἀποκαλύπτειν* invenimus[12]), quod semper translate adhibetur, plerumque de Deo, qui aut se ipsum aut filium aut secreta divina piis hominibus ostendit. Quam vim nusquam apud auctores Graecos invenimus, qui

---

[7]) Patient., resurr., adv. Hermog., adv. Val., haer., adv. Prax., adv. Marc.

[8]) CSEL 47 et 54—56.

[9]) Hermann Roensch, Itala und Vulgata. Das Sprachidiom der urchristlichen Itala und der katholischen Vulgata, Marburg 1875; Collectanea philologica, Bremen 1891; Semasiologische Beiträge zum lateinischen Wörterbuch, Leipzig 1887—89.

[10]) Gustav Koffmane, Geschichte des Kirchenlateins I: Entstehung und Entwickelung des Kirchenlateins bis auf Augustinus-Hieronymus, Breslau 1879.

[11]) Franz Kaulen, Sprachliches Handbuch zur biblischen Vulgata², Freiburg i. B. 1904.

[12]) Cf. C. H. Bruder.

eo vocabulo non nisi ad res humanas exprimendas utuntur. Hos locos notavi[13]):

Herod. 1, 119: *Ἅρπαγον δὲ ἐκέλευον προσστάντες ἀποκαλύπτειν τε καὶ λαβεεῖν τὸ βούλεται αὐτῶν. Πειθόμενος δὲ ὁ Ἅρπαγος καὶ ἀποκαλύπτων ὁρᾷ τοῦ παιδὸς τὰ λείμματα*, ubi Harpagus corpus filii necati detegit.

Plat. Prot. 352a: *ἀποκαλύψας καὶ τὰ στήθη.* Eodem loco hoc verbum etiam translate de sententiis et consiliis adhibetur: *τόδε τῆς διανοίας ἀποκάλυψον*, tum

Plat. Gorg. 455d: *ἀποκαλύψαι τὴν τῆς ῥητορικῆς δύναμιν* (cf. 460a).
Plut. Crass. 6: *κεφαλὴν ἀποκαλύπτεσθαι*,
— Alex. 55: *ἄντικρυς ἔν γε τούτοις ἀποκαλυπτόμενος πρὸς Ἀριστοτέλην.*

Diod. 17, 62: *Μέμνων . . . φανερῶς ἀπεκαλύψατο πρὸς τὸν πόλεμον*,
— 18, 23: *οὔπω βουλόμενος ἀποκαλύψασθαι πρὸς τὴν ἐπιβολήν.*

Accedunt complures loci in papyris de solo, quod Nili aqua reliquit[14]):

C. P. Rain. 1, 239, 5: *ἀποκαλυφείσης χέρσος αἰγειαλοῦ.*
Pap. Jand. 27, 12: *ἀρούρας ἀποκαλυφείσης αἰγιαλοῦ* etc.

In Vetere Testamento Graeco, quod Septuaginta (LXX) appellamus, persaepe *ἀποκαλύπτειν* legimus[15]) et proprie de corporibus detectis et translate dictum de consiliis et cogitationibus patefactis et de deo Iudaeorum, qui se hominibus ostendit.

Si inquiremus, quae verba Hieronymus adhibeat iis locis, ubi in LXX et Novo Testamento Graeco verbum *ἀποκαλύπτειν* legimus, intellegemus Hieronymum in Novo Testamento Latino semper verbo *revelandi* uti. In Vetere Testamento Hieronymus de corporibus et consiliis factisque detectis tum verbo *revelandi* utitur tum aliis, e quibus *discooperire, aperire, detegere, denudare* enumero, cf.

gen. 8, 13: *ἀπεκάλυψε τὴν στέγην* = *aperiens tectum* Vulg., at *denudavit* Itala, Ambr. Noe 20,

exod. 20, 26: *ὅπως ἂν μὴ ἀποκαλύψῃς τὴν ἀσχημοσύνην* = *ne reveletur turpitudo tua*,

---

13) Cf. Liddell-Scott, A Greeck-English Lexicon, Oxford 1925.
14) Cf. Liddell-Scott et F. Preisigke, Wörterbuch der griech. Papyrusurkunden, Berlin 1925.
15) Cf. Hatch and Redpath.

lev. 18, 6 sqq. tum *revelare* tum *discooperire* legimus,
reg. I 22, 8: *ὁ ἀποκαλύπτων τὸ ὠτίον μου = qui mihi renuntiet*, cf. etiam 22, 17, tum porro
reg. II 6, 20: *discooperire, nudare*,
Jos. 2, 20: *sermonem proferre in medium.*

Iis locis, ubi Deus voluntatem enuntiat, semper verbum *revelandi* occurrit[16]). Eadem verba apud Ecclesiasticum et in Maccabaeorum libris saepius occurrunt, id quod ex hoc conspectu cognoscas:

Sirach 1, 6: *ῥίζα σοφίας τίνι ἀπεκαλύφθη; = disciplina sapientiae cui revelata est?*,

— 4, 18 (21): *⟨σοφία⟩ ἀποκαλύψει αὐτῷ τὰ κρυπτὰ αὐτῆς = denudabit absconsa sua*,

— 6, 9: *ἔστι φίλος . . . καὶ μάχην ὀνειδισμοῦ σου ἀποκαλύψει = est amicus, qui denudabit*,

— 19, 8: *εἰ μή ἐστί σοι ἁμαρτία, μὴ ἀποκάλυπτε = noli denudare*,

— 27, 16: *ὁ ἀποκαλύπτων μυστήρια = qui denudat arcana amici*,

— 27, 17: *ἐὰν δὲ ἀποκαλύψῃς = quod si denudaveris*,

— 27, 21: *ὁ δὲ ἀποκαλύψας μυστήρια = denudare autem amici mysteria*,

— 42, 19: *⟨ὁ Κύριος⟩ ἀποκαλύπτων ἴχνη ἀποκρύφων = revelans vestigia occultorum.*

Macc. I 7, 31: *ἔγνω Νικάνωρ, ὅτι ἀπεκαλύφθη ἡ βουλὴ αὐτοῦ = cognovit Nicanor, quoniam denudatum est consilium suum.*

Moneo Hieronymum libros Sapientiae, Iesu Sirach (Ecclesiastici), Baruch, Maccabaeorum non ipsum ex Hebraeo transtulisse, sed aliorum interpretum versionem opere suo recepisse. Videmus igitur interpretes horum librorum verbo *denudandi* favere, atque aliis quoque locis versiones antiquae nonnumquam pro verbo *revelandi* ab Hieronymo adhibito aliis verbis utuntur, praesertim verbo *denudandi*, cf. deut. 22, 30: *denudabit operimentum patris sui* cod. Lugd., *revelabit* Vulg. et Os. 2, 10 (cod. Wirc.), tum pro Vulgatae verbo *aperire* gen. 8, 13 (Ambr. Noe 20) et num. 22, 31 (cod. Lugd.).

---

[16]) Cf. reg. I 2, 27; 9, 15; ps. 97 (98), 2; Am. 3, 7; Is. 53. 1; 56, 1; Ier. 11, 20; 20, 12; Dan. 2, 19. 28. 29. 30. 47; 10, 1.

Apud auctores Latinos verbum *denudandi* raro occurrit. Hos locos ex Thesauro L. L. V 449 sq. notavi: Cic. Verr. 6, 32; Liv. 5, 27. 9; 45, 39, 19; Plin. n. h. 11, 76; Sen. contr. 2, 7, 4; Suet. Aug. 69; Apul. met. 5, 30, quibus locis de corporibus agitur, tum translate: Varr. de l. Lat. 9, 112: *suam scientiam denudat*: Liv. 42, 13, 3: *iudicia sua*; 44, 38, 1: *consilium*; Sen. dial. 9, 17, 1: *multa incidunt, quae invitos denudent*; Cic. de or. 1, 235: *ne eam* (i. e. iuris civilis scientiam) *ornatu spolies atque denudes*, ubi Cicero propriae quoque significationis meminisse videtur.

Verbum *discooperiendi* primum invenimus in Italae codicibus[17]).

In Novi Testamenti versionibus antiquis verba *denudandi* etc. etsi raro occurrunt non plane desunt, cf.

Matth. 10, 26: *οὐδὲν γάρ ἐστιν κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται* = *nihil enim est opertum, quod non reveletur* Vulg. Eundem textum ceteri quoque codices praebent praeter k, ubi legimus: *nihil est enim tectum, quod non retegetur* et Iren. 1 praef. 2[18]): *nihil est enim coopertum quod non manifestabitur*.

Luc. 12, 2: *οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστίν, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται* = *nihil autem opertum est, quod non reveletur* Itala praeter e et Vulgata, *retegatur* e, *nihil autem opertum, quod non patefiet* Tert. adv. Marc. 4, 28.

— 2, 35: *ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί* = *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes* Itala praeter e et Vulgata, *ut denudentur* e.

— 17, 30: *ᾗ ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται* = *qua die filius hominis revelabitur* Itala praeter e et Vulgata, *venerit* e.

ep. ad Gal. 3, 23: *μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι* = *revelanda erat* Itala praeter e et Vulgata, *retegebatur* e.

Sed pauci sunt hi testes prae iis, qui cum Vulgata consentiunt, qua re in Novo Testamento, si rem omnem spectamus, verbum *revelandi* iam ante Hieronymum dominatum obtinuisse apparet.

Restat, ut inquiramus, quibus locis et quo modo verbum *revelandi* apud priores auctores Latinos adhibeatur. Primum occurrit hoc verbum apud Ovidium epist. 11, 72: *eripit infantem menti-*

---

[17]) Cf. Thes. L. L. V 1337.

[18]) Cf. Novum Testamentum Irenaei ed. Sanday-Turner (Old Lat. Bibl. Texts VII), Oxford 1923.

taque sacra revelat Aeolus, ubi rex nepotem, quem filia clam tollere conata erat, detegit. De corporibus etiam his locis agitur: Ovid. fast. 6, 619; Tac. Germ. 31; Apul. met. 2, 24; 3, 9; 6, 21; 9, 22. 42; 10, 18; at cf. 3, 15: *arcana dominae meae revelare secreta*; 9, 26: *detectis ac revelatis fraudibus*, ubi consilia significantur. In Litteris Sanctis verbum *revelandi* semper translate adhibetur atque ceteri scriptores ecclesiastici usque a Tertulliano utuntur hoc verbo saepissime eadem vi.

Omnes textus etiam antiquarum versionum accedentibus Tertulliano[19]) et Cypriano[20]) pro Novi Testamenti Graeci verbo *ἀποκαλύπτειν* illis locis exceptis, quos supra commemoravimus, unum solum vocabulum praebere vidimus. Verbum *revelandi*, quod apud auctores Latinos raro occurrit, fit apud Christianos quasi artis vocabulum, quo res divinas detegi significetur.

Apud Patres apostolicos saepe verbum *ἀποκαλύπτειν* occurrit, imprimis in eo opere, quod Hermae Pastor incribitur[21]). Et in Palatina versione et in Vulgata semper verbum *revelandi* pro Graeco *ἀποκαλύπτειν* legimus duobus locis exceptis, quibus versio Palatina haec praebet:

vis. 2, 2, 1: *ἀπεκαλύφθη* = *demonstrata est*,
vis. 2, 2, 4: *ἵνα σοι ἀποκαλυφθῇ* = *ut tibi manifestentur*.

Vocem *ἀποκάλυψις* in Novo Testamento semper translate dictam apud ceteros auctores Graecos ante Philodemum et Plutarchum non invenimus. Caput detegi exprimitur Philod. *περὶ κακιῶν* p. 38 Jensen: *ὑπανίστασθαί τισιν ἐπιστᾶσιν ἄφνωι μετ' ἀναπηδήσεως καὶ ἀποκαλύψεως.* Plutarchus hac voce utitur Aem. Paull. 14: *τινὲς οὔ φασιν ὑδάτων ἑτοίμων κεκρυμμένων πηγὰς ἐναποκεῖσθαι τοῖς τόποις, ἐξ ὧν ῥέουσιν, οὐδ' ἀποκάλυψιν, οὐδὲ ῥῆξιν εἶναι τὴν ἐκβολὴν αὐτῶν* . . . et quomodo adul. ab amico internosc. 70 F: *δεῖ γὰρ . . . οὐκ εὐπρεποῦς τῆς ἁμαρτίας τὴν νουθέτησιν καὶ ἀποκάλυψιν ἀπόρρητον εἶναι.*

---

[19]) Locos a Tertulliano allatos collegit Hermannus Roensch, Das Neue Testament Tertullians, Leipzig 1871.

[20]) Locos a Cypriano allatos invenies apud Iohannem de Soden, Das lateinische N.T. in Afrika zur Zeit C.s, Leipzig 1909.

[21]) Cf. vis. 2, 2, 1; 2, 2, 4; 3, 3, 2sqq.; 3, 4, 3; 3, 8, 10; 3, 10, 2; 3, 12, 2; 3, 13, 4.

Sed iam LXX quattuor locis vocem *ἀποκάλυψις* praebent, quorum tres sunt in libro Ecclesiastici:

reg. I 20, 30; *εἰς αἰσχύνην ἀποκαλύψεως τῆς μητρός σου* = *in confusionem ignominiosae matris tuae* Vulg., *in confusionem denudationum matris tuae* Itala, cod. Legion. marg[22]).

Sirach 11, 27 (29): *ἐν συντελείᾳ ἀνθρώπου ἀποκάλυψις ἔργων αὐτοῦ* = *in fine hominis denudatio operum illius* Vulg.

— 22, 22 (27): *ἐπὶ φίλον . . . ἔστιν γὰρ διαλλαγή· πλὴν ὑπερηφανίας καὶ μυστηρίου ἀποκαλύψεως* = *ad amicum enim concordatio, excepto . . superbia et mysterii revelatione* Vulg.

— 42, 1: ⟨*αἰσχύνεσθε* 41, 17⟩ *ἀπὸ ἀποκαλύψεων λόγων κρυφίων* = ⟨*erubescite* 41, 21⟩ *de revelatione sermonis absconditi* Vulg.

Videmus igitur vocem *ἀποκάλυψις* ab interprete, qui librum Ecclesiastici in sermonem Latinum transtulit, semel voce *denudationis* reddi, bis voce *revelationis*, quae vox ab Hieronymo in Novo Testamento transferendo semper fere usurpatur. Praeter duos enim locos in Novo Testamento Latino pro Graeco illo *ἀποκάλυψις* vocem *revelationis* legimus. Omnibus locis de rebus divinis agitur. De vi huius vocis Isidorus his verbis agit (orig. 6, 2, 49): *Apocalypsin librum Iohannes evangelista scripsit . . Apocalypsin autem ex Graeco in Latinum revelatio interpretatur. Revelatio enim dicitur manifestatio eorum, quae abscondita erant, iuxta quod et ipse Iohannes dicit: Apocalypsin Iesu Christi quam dedit illi Deus palam facere servis suis.*

In Vulgata cum ceteris locis semper vox *revelationis* tradatur[23]), tum ep. ad Cor. I 14, 26 et apoc. 1, 1 vocem *apocalypsis* legimus. Ep. ad Cor. I 14, 26 similis est locis 14, 6 et ep. ad Eph. 3, 3, neque apparet, quibus causis adductus Hieronymus hoc loco vocem usitatam fugerit. Apoc. 1, 1 *Apocalypsis* quasi inscriptio operis est, quam interpretes non transtulerunt. Eadem ratione ceteri quoque scriptores ecclesiastici uti solent, qui hoc opus afferunt[24]).

---

[22]) Cf. Thes. L. L. V 549.

[23]) Cf. Luc. 2, 32; ep. ad Rom. 2, 5; 8, 19; 16, 25; ep. ad Cor. I 1, 7; 14, 6. 26; II 12, 1. 7; ep. ad Gal. 1, 12; 2, 2; ep. ad Eph. 1, 17; 3, 3; ep. ad Thess. II 1, 7; ep. Petri I 1, 7. 13; 4, 13; apoc. 1, 1.

[24]) Ex Thesauro L. L. II 241 notavi: Tert. adv. Marc. 4, 5; pudic. 19; Ps. Cypr. pascha 14; Hier. epist. 123, 12; Augustin. civ. 20, 8; Sulp. Sev. chron. 2, 31, 1. At cf. Lact. inst. epit. 37 (42), 8: *sicut docet Iohannes in Revelatione*; Rufin. apol. Orig. 6 p. 596: *ita ait Ioannes in Revelatione sua.* Aliis locis vox *apocalypsis* apud auctores Latinos non exstat.

Denudatio et *revelatio* nova vocabula sunt, quae Christiani creaverunt, ut vocem ἀποκάλυψις interpretarentur. Vox *denudationis* praeter locos supra nominatos nonnisi his locis invenitur: Isid. in lev. 11, 16 *capitis denudatio* et Vindic. gyn. p. 460 g *dentium denudatio*. Vox *revelationis* saepius occurrit, hos locos afferre liceat: Tert. adv. Marc. 5, 4: *qui filii sui revelationem . . disposuit et praedicavit*; Novat. trin. 26 (21), 4; Lact. de op. 18, 11; Ambr. in ps. 36, 42; Arnob. 5, 35: *revelatio pudendorum*, ubi de Cereris sacris agitur, etc.

Antiquae versiones Novi Testamenti semper fere cum Vulgata consentiunt. Ep. ad Rom. 16, 25 tradit codex Claromontanus (d) *apocalypsem* et ep. ad Cor. I 14, 26, ubi Vulgatam *apocalypsem* praebere supra commemoravimus, in codd. d g r *revelationem* legimus. Ep. ad Rom. 2, 5 Tertullianus vocabulo *retributionis* utitur, quod Graeco ἀνταποδόσεως in cod. A tradito respondet. Ep. ad Thess. II 1, 7 et ep. Petri II 4. 13 Tertullianus cum Vulgata consentit. Cyprianus saepius affert ep. ad Rom. 2, 5 et ep. Petri I 4, 13, quibus locis vocem *revelationis* adhibet.

In ea Hermae Pastoris versione Latina, quam codex Palatinus praebet, ἀποκάλυψις tum voce *revelationis* tum *visionis* transfertur, Vulgata autem semper adhibet vocem *revelationis*.

Constat igitur voce ἀποκάλυψις in sermonem Latinum transferenda duo vocabula procreata esse, quae prius non fuerunt in sermone Latino, utque verbum *revelandi* celeriter dominatu potitum est ceterorum verborum, quae eandem sententiam exprimerent, ita vox *revelationis* in Vulgata ceteris vocibus superatis artis vocabulum pro Graeco ἀποκάλυψις facta est.

σωτήρ, σώζειν

Vox σωτήρ apud Graecos creberrimum est cognomen Iovis. Apud Romanos nullum vocabulum invenimus quod Graeco illi respondeat[25]) nisi quod Cicero dicit (de fin. 3, 66): *Atque etiam*

[25]) August Oxé, Wiener St. 48, 1930, p. 38sqq., qui vocabula *custos* et *custodire* saepe idem significare vult ac σωτήρ et σώζειν, mihi quidem non persuasit.

Iovem cum Optimum et Maximum dicimus cumque eundem Salutarem, Hospitalem, Statorem . . . Sed de Iove Salutari Romanorum nihil aliud scimus et Ciceronem ad Graecum illum Iovem spectare verisimile est, praesertim cum ipse nobili illo loco Verr. 2, 63, 154 haec dicat: *itaque eum* (sc. Verrem) *non solum patronum illius insulae, sed etiam sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latine uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum soter, qui salutem dedit.* Romanis igitur hoc vocabulum ignotum esse apparet.

Sed qua voce, id enim quaerimus, interpretantur Romani in Litteris Sanctis transferendis Graecum illud σωτήρ[26]? Vocem *conservatoris*, quae apud Plinium[27] et Tacitum[28] et in inscriptionibus[29] occurrit, in Itala et Vulgata nusquam invenimus nisi apud Augustinum[30], id quod non est mirandum, quoniam non est Dei Christianorum res huius mundi conservare, sed animos ex huius vitae malis liberare et in vitam aeternam traducere. Ita aliud verbum adhibendum erat. Nonnullis locis Novi Testamenti Itala *salutaris* illud praebet, quod iam Ciceronem de fin. 3, 66 de Iove protulisse vidimus[31], sed vox adiectiva illa non nisi nomine Dei adiecto adhiberi potuit, quam ob rem Tertullianus novam vocem fingere ausus est *salutificatoris*[32]. Neque vero occurrit haec vox apud alium scriptorem, sed ubi primum pro Graeco σώζειν verbum *salvandi* creatum est[33], ab hoc verbo nova quoque vox substantiva *salvatoris* mutuari potuit, quam primum legimus apud Tertullianum adv. Marc. 3, 18; 4, 1, tum apud Irenaeum I 1, 3; 6, 1; 9, 2; Clem. ad Cor. 58 sq.; Ps. Cypr. mont. 13; Lact. inst. 4, 12, 6; Iuvenc. 1, 769; 2, 247; 3, 192; 4, 51. 537; Itin. Hier. Anton. 44; Mar. Victorin. ad Iust. 16; Ps. Mar. Vict. phys. 20; Hil. myst. 1, 18 (CSEL 65, 4 p. 16, 6. 8); Lucif, Ath. 1, 33; 2, 28; epist. 1, 6; 7; Auson. 153, 81; Ambr. virg. 1, 7, 39; exhort. virg. 1, 4 et postea.

[26] Cf. F. Dornseiff RE s. v. σωτήρ p. 1219sq. et Thes. L. L. IV 418.

[27] paneg. 1.

[28] ann. 15, 71.

[29] Cf. CIL 3, 1301; 6, 406 et saepius.

[30] Fid. et op. 24, 45; 25, 46 = ep. Petri II 2, 20.

[31] Cf. ep. ad Tim. I 1, 1 (d); 2, 3 (d, Ambrosiaster, Lucif. non parc. p. 234); ep. ad Tit. 1, 4 (d g); 2, 11 (d g); ep. Petri II 1, 1 (h); 1, 11 (h).

[32] Cf. pud. 2, ieiun. 6 = deut. 32, 15; resurr. 47 = ep. ad Phil. 3, 21; adv. Marc. 2, 19; 5, 15.

[33] Primum legimus hoc verbum Tert. scorp. 2; cf. infra p. 21sq.

In Novo Testamento iam ab Italae codicibus illis locis exceptis, quos supra enumeravi, traditum vocabulum *salvatoris* in Vulgata semper occurrit praeter Luc. 1, 47, ubi Vulgata quoque vocem *salutaris* usurpavit.

In Vetere Testamento vertendo Hieronymus plerumque voce *salvatoris*, rarius voce *salutaris* aut aliis vocabulis utitur. Hos locos enumerare liceat:

deut. 32, 15: *salutaris*
iud. 3, 9. 15: *salvator*
reg. I 10, 19: *qui salvavit*
par. I 16, 35: *salvator*
sap. 16, 7: *salvator*
Mich. 7, 7: *salvator*
Is. 12, 2; 17, 10; 45, 15: *salvator*
Is. 45, 21: *salvans*
Is 62, 11: *salvator*
Macc. I 4, 30: *salvator*
Sirach 51, 1: *salvator*.

At in libro Psalmorum, ubi Hieronymus antiquiore versione nixus est, semper fere vox *salutaris* exstat:

23 (24), 5: *salutaris*
24 (25), 5: *salvator*
26 (27), 1: *salus*
26 (27), 9: *salutaris*
61 (62), 2: *salutaris*
61 (62), 6: *salvator*
64 (65), 5: *salutaris*
78 (79), 9: *salutaris*
94 (95), 1: *salutaris*.

Verbum *σώζειν* in Novo Testamento plerumque de Deo adhibetur, qui animos hominum ex huius mundi miseriis liberat et in novam vitam traducit. Cum verba *servandi* vel *conservandi* nusquam inveniamus, verbum *liberandi* nonnullis locis occurrit[34]).

[34]) Cf. Matth. 27, 49 Itala, Vulg.; Matth. 8, 25 a b c d g h q; 14, 30 d e; 24, 13 d; 27, 40 a b c d q; 27, 49 a aur b c d ff_1 ff_2 g_1 gat l q; Luc. 17, 33 b c i q; 23, 37 b c e ff_2 l q; Ioh. 12, 27 a c e ff_2; ep. ad Tim. I 1, 9 f g Vulg.; ep. Iac. 4, 12 s Vulg.

Interpretes Christiani verbum *salvandi* finxerunt, quod et in Italae codicibus et in Vulgata saepe legimus, neque iis solum locis, ubi de vita futura agitur, sed etiam iis, ubi morbi sanantur. Sed iam Tertullianus dicit multis locis pro verbo *salvandi* aut *salvum facere* aut pro passivo genere *salvum esse* vel *fieri*, id quod cognoscas ex hoc conspectu locorum a Tertulliano allatorum:

Matth. 9, 22: *salvum fecit* (praescr. 14)
— 10, 22: *salvus erit* (scorp. 10)
salvus fiet (scorp. 9)
salvabitur (fug. 7)
— 18, 11: *salvum faciam* (resurr. 9)
— 24, 13: *salvabitur* (fug. 7)
Marc. 10, 52: *salvum fecit* (bapt. 12)
Luc. 6, 9: *liberare* (adv. Marc. 4, 12)
— 7, 50: *salvam fecit* (adv. Marc. 4, 18)
— 8, 48: *salvam fecit* (adv. Marc. 4, 20)
— 9, 24: *salvam facere* (adv. Marc. 4, 21)
— 9, 56: *salvam facere* (carn. 12)
— 17, 19: *salvam fecit* (adv. Marc. 4, 35)
— 17, 33: *salvam facere* (anim. 13)
— 18, 42: *salvum fecit* (adv. Marc. 4, 36)
— 19, 10: *salvum facere* (adv. Marc. 4, 37)
Ioh. 3, 17: *salvus sit* (adv. Prax. 21)
— 12, 27: *salvum me fac* (adv. Prax. 23)
act. 15, 11: *salutem consecuturos* (pudic. 21)
ep. ad Cor. I 1, 18: *salutem consecuturis* (adv. Marc. 4, 5)
— 5, 5: *salvus sit* (adv. Marc. 5, 7)
ep. ad Thess. II 2, 10: *salvi essent* (adv. Marc. 5, 16).

In Vulgata legimus plerumque *salvum facere*[35]), rarius *salvare*[36]). Neque diiudicare ausim, utrum verbum *salvare* antiquius sit an *salvum facere*. Quod Ioh. de Soden[37]) verba *salvare* et *poeniteri*[38]) et talia antiquiora esse dicit, obstat usus Tertulliani, qui praeter

[35]) Cf. Matth. 1, 21; 9, 21. 22; 10, 22; 14, 30; 16, 25; 19, 25; 24, 13. 22; 27, 42; Marc. 3, 4; 5, 23. 28. 34; 6, 56; 8, 35; 10, 26. 52; 13, 13. 20; 15, 30. 31; 16, 16 et passim.

[36]) Cf. Matth. 8, 25; 18, 11; 27, 40; Marc. nullo loco; Luc. 9, 56; 13, 23; Ioh. 3, 17; 10, 9; act. 2, 40 etc.

[37]) Das Latein. N.T. p. 85.

[38]) Cf. infra.

duos locos (Matth. 10, 22; 24, 13 = fug. 7: *salvabitur*) semper verbis compositis *salvum facere* et *salvum esse* utitur. Neque ceteri scriptores ecclesiastici ante Hieronymum crebrius verbo *salvandi* usi esse videntur, id quod ex his locis ex Thesauro L. L. haustis cognoscas: Tert. scorp. 2; Clem. ad. Cor. 56. 59; Herm. Pal. sim. 5, 7, 1; Ps. Cypr. mont. 3. 7. 15; Itin. Hier. Anton. 42; Hil. in Matth. 2, 4; 12, 5; 20, 3; Ambr. virg. 24, 29[39]). At Hieronymus verbo *salvandi* non solum in Vulgata favit, sed praecipue in epistulis, cf. epist. 20, 3, 2; 20, 4, 1; 21, 36; 22, 6, 1 et saepius; in Ezech. 7, 24 p. 276 Vall.; adv. Pelag. 2, 17. 18. 19; adv. Iovin. 1, 27; hom. Luc. 30; in ep. Gal. 1, 15.

Si inquiremus, utri verbo Italae codices faveant, intellegemus eos tum hoc tum illo verbo uti. In codd. d e k verbum *salvandi* saepius occurrit, id quod bene congruit ei rei, quod hi codices, ut infra demonstrabimus, in verbo *μετανοεῖν* vertendo saepius *poeniteri* quam *poenitentiam agere* dicunt. Eos codices, qui in evangeliis a Vulgata dissentiunt, hac tabula notavimus:

Matth. 1, 21: *salvabit* d k Ir., *salvum faciet* a aur b c f ff_1 g_1 gat q Cypr. Vulg.
— 8, 25: *libera* a b d g_1 h q, *salva* aur ff_1 gat k l Vulg.
— 9, 21: *salvabor* d k, *salva ero* cett. Vulg.
— 9, 22: 1. *salvavit* d k, *salvam fecit* cett. Vulg.
2. *salvata est* d, *sanata est* k, *salva facta est* cett. Vulg.
— 10, 22: *salvabitur* k, *salvus erit* cett. Vulg.
— 14, 30: *libera* d e, *salva* c q, *salvum fac* cett. Vulg.
— 16, 25: *salvare* d e q Ir., *salvum facere* cett. Vulg.
— 18, 11: om. d e, *salvare* cett. Vulg.
— 19, 25: *salvari* d e q, *salvus esse* vel *fieri* cett. Vulg.
— 24, 13: *liberabitur* d, *salvabitur* Cypr., *salvus erit* cett. Vulg.
— 24, 22: *salvata esset* d, *salvaretur* e, *liberaretur* Cypr., *salva esset* a ff_1, *s. fieret* cett. Vulg.
— 27, 40: *libera* a b c d q, *salvum fac* h, om. ff_2, *salva* aur f ff_1 g_1 gat l Vulg.
— 27, 42: 1. *salvos fecit* Itala, Vulg.
2. *salvare* d h, *salvum facere* cett. Vulg.
— 27, 49: *liberat* d, *liberabit* a b c ff_2 q, *liberans* aur ff_1 g_1 Vulg.

[39]) Extra opera ecclesiastica hoc verbum in sermone Latino non invenitur ante Gargil. Mart. 22 et Nonium 170. 176 M.

Marc. 3, 4: *salvare* e q, *salvam facere* cett. Vulg.
— 5, 23: om. c e, *salva sit* cett. Vulg.
— 5, 28: *salvabor* e, *salva ero* cett. Vulg.
— 5, 34: *salvavit* e, *salvam fecit* cett. Vulg.
— 6, 56: *sanati sunt* a, *salvi fiebant* cett. Vulg.
— 8, 35: 1. *salvare* a e i k n, *salvam facere* cett. Vulg.
2. *invenit* ff[40]), *salvabit* a k n, *salvam faciet* cett. Vulg.
— 10, 26: *salvari* k, *salvum fieri* cett. Vulg.
— 10, 52: *salvavit* k q, *salvum fecit* cett. Vulg.
— 13, 13: *salvabitur* k, *salvum fecit* cett. Vulg.
— 13, 20: *salvata esset* k, *salva fieret* b d i q, *salva esset* vel *fuisset* a aur c ff g gat Vulg.
— 15, 30: *salva* k n, *salvum fac* cett. Vulg.
— 15, 31: 1. *salvasti*, 2. *salva* k n, 1. *salvos fecit*, 2. *salvum facere* cett. Vulg.
— 16, 16: *salvabitur* ff$_2$, *salvus erit* cett. Vulg.
Luc. 6, 9: *salvare* c d e, *salvam facere* cett. Vulg.
— 7, 50: *salvavit* c e, *salvam fecit* cett. Vulg.
— 8, 12: *salventur* c e, *salvi fiant* cett. Vulg.
— 8, 36: *salvatus est* d, *salvus factus est* b g$_1$ q, *sanus factus est* aur c f ff$_2$ g$_2$ gat r Vulg.
— 8, 48: *salvam fecit* Itala Vulg.
— 8, 50: *vivet* a, *salvabitur* c d e, *salva erit* cett. Vulg.
— 9, 24: 1. *salvare* c d e, *salvam facere* cett. Vulg.
2. *salvabit* a b c d ff$_1$, *salvam faciet* ff$_1$ r q Tert. Vulg.
— 9, 56: om. d gat l, *salvas facere* c Ambrosiast., *salvare* cett. Cypr. Vulg.
— 13, 23: *salvi fiant* vel *fiunt* b c ff$_2$ i l q r, *salvi futuri sunt* a n, *salvantur* aur d e f gat Vulg.
— 17, 19: *salvavit* d e, *salvum fecit* cett. Vulg.
— 17, 33: *liberare* b c i q, *vivicare* d[41]), *salvare* e ff$_2$ gat r$_2$, *salvam facere* a aur f l r$_1$ Vulg.
— 18, 26: *salvari* d e, *salvus fieri* cett. Vulg.
— 18, 42: *salvavit* e, *salvum fecit* cett. Vulg.
— 19, 10: *salvare* d e i, *salvum facere* cett. Vulg.
— 23, 35: 1. *salvos fecit* Itala Vulg.
2. *salva* c, *salvos fecit* cett. Vulg.

---

[40]) Cf. Matth. 10, 39, ubi pro verbo *σώσει* Marc. 8, 35 tradito verbum *εὑρήσει* legimus, quod in versionibus Latinis verbo *inveniet* redditur.
[41]) D: *ζωογονῆσαι*.

Luc. 23, 37: om. d, *salva te* a, *libera* b c e ff_2 l q, *salvum fac* aur f gat r Vulg.
— 23, 39: om. d e, *libera* a ff_2, *salva* b q, *salvum fac* aur c f gat l r Vulg.
Ioh. 3, 17: *salvus fiat* b r, *s. sit* Tert., *salvetur* cett. Vulg.
— 5, 34: *salvemini* e q, *salvi sitis* cett. Vulg.
— 10, 9: *salvus erit* a d e, *salvabitur* cett. Cypr. Vulg.
— 11, 12: *salvus erit* Itala Vulg.
— 12, 27: *libera* a c e ff_2, *salva* d f l r, *salvifica* b gat Vulg.
— 12, 47: *salvum faciam* a aur c gat l r, *salvetur* q, om. ff_2, *salvem* d e f, *salvificem* b q Vulg.

Quod ad Vetus Testamentum pertinet, in libris historiarum et *salvare* et *salvum facere* et saepius *liberare* invenimus, atque genus passivum nonnumquam verbo *effugiendi* exprimitur. Plerumque de bellis agitur, quorum ex periculis Iudaeos aut Deus aut viri fortes liberant. Hos locos afferre placet:

iud. 2, 18: *liberavit*
— 3, 9: *liberavit*
— 3, 31: *defendit*
— 6, 14: *liberabis*
— 6, 15: *liberabo*
— 6, 36: *salvum facis*
— 6, 37: *liberabis*
reg. I 4, 3; 7, 8: *salvet*
— 9, 16: *salvabit* etc.

In libris Psalmorum et Prophetarum saepius de animi miseriis agitur, quam ob rem verbum *liberandi* multo rarius occurrit quam in libris historiarum. In libro Psalmorum verbum *liberandi* non legimus nisi 56, 3; 106 (107), 13. 19; 114 (116), 6. Plerumque verbum *salvum facere* adhibitum est[42]). Verbum *salvandi* rarius occurrit[43]). At in Prophetarum libris Hieronymus favet verbo *salvandi*[44]). Dissentit igitur ab Hieronymo, quem verbo *salvandi* favere vidimus, Psalmorum interpres, id quod iam intelleximus, cum de vocabulis pro voce σωτήϱ adhibitis ageremus.

---

[42]) Cf. ps. 3, 7; 6, 4; 7, 1. 2. 10; 11 (12), 1; 16 (17), 7 et passim.
[43]) Cf. ps. 29 (30), 3; 30 (31), 7 etc.
[44]) Cf. ex multis locis hos: Is. 25, 9; 33, 22; 35, 4; 45, 17.

In versionibus Patrum apostolicorum operum varias interpretandi rationes adhibitas esse invenimus. Nam in Barnabae epistula verba *liberandi* (1, 3; 12, 3; 16, 16), *curandi* (12, 7), *sanandi* (4, 1; 5, 10; 8, 6) legimus, in Clementis epistula prima tum verbum *salvandi* (58, 2; 59, 3. 4), tum *salvum facere, fieri, esse* (2, 4; 7, 6; 11, 1; 12, 1; 21, 8; 37, 5; 38, 1); neque Hermae Pastoris versiones inter se congruunt; nam versio Palatina verbo *salvandi* magis favet quam Vulgata, ubi plerumque *salvum facere* etc. legimus, id quod ex his locis electis cognoscas:

vis. 2, 3, 2: 1. *salvaberis* p, *te salvum faciet* v
2. *salvabuntur* p, *salvos faciet* v
— 3, 3, 5: 1. *salvabitur* p, *salva fiet* v
2. *salvata est* p, *salva facta est* v
mand. 10, 1, 2: *salvum facit* p v
— 10, 1, 3: *salvum facere* p v
— 10, 2, 1: *salvat* p, *salvum facit* v
— 12, 6, 3: *servare* p, *salvum facere* v
sim. 1, 11: *habebis salutem* p, *salvus eris* v
— 5, 7, 3: *salvatur* p, *salutem assequitur* v
— 6, 6, 1: *salutem adferre* p v
— 6, 5, 7: *salvantes* p, *salutem ferentes* v
— 8, 11, 1: *salvari* p, *assequi salutem* v
— 9, 12, 3: *sunt accepturi salutem* p, *assecuturi sunt salutem* v
— 9, 23, 4: *conservare* p v.

In verbo *σώζειν* vertendo praeter verbum *liberandi*, quod saepius in Vetere, rarius in Novo Testamento legimus, interpretes compluribus verbis uti vidimus, quae scriptorum ecclesiasticorum propria sunt. Praeter verbum *salvandi* sententias *salutem accipere, assequi, consequi, habere, afferre* et *salvum facere, fieri, esse* composuerunt, quae, quamquam Hieronymus verbo *salvandi* magis favet, tamen in Vulgata quoque saepe traduntur; neque verbum *salvificandi* (Joh. 12, 47) Italae codicibus b q traditum Hieronymus in versionem suam recipere dubitavit. Itaque singulos interpretes non certam quandam rationem secutos esse, sed ex compluribus verbis tum hoc tum illud elegisse apparet.

εὐαγγέλιον, εὐαγγελιστής, εὐαγγελίζεσθαι

Vocabulum *εὐαγγέλιον*, quod iam apud antiquos Graecos usitatum fuit, quo aut praemia nuntiis data aut sacrificia deis pro bonis nuntiis facta significarentur[45]), in Novo Testamento nova vi praeditum esse videmus, ita ut hoc vocabulo primum summa mandatorum[46]) et rerum gestarum Iesu Christi significaretur, tum libri, quibus hae res memoriae traduntur, ipsi evangelia appellentur. In Latino autem sermone tale vocabulum non fuit, quam ob rem Romani in Novo Testamento vertendo Graecum illud vocabulum receperunt. Itaque et in Italae codicibus et in Vulgata semper vocem *evangelii* legimus. Eandem rationem interpretes epistulae Barnabae (cf. 5, 9; 8, 3) et Clementis (cf. 47, 2) secuti sunt.

Discipuli Christi, qui vitam eius aut dictis aut scriptis memoriae tradiderunt, *ἀπόστολοι* appellabantur aut *εὐαγγελισταί*, quod vocabulum Romani quoque usurpaverunt. Act. 21, 8; ep. ad Eph. 4, 11; ep. ad Tim. 4, 5 et Italae interpretes et Hieronymus vocabulum *εὐαγγελιστής* semper vocabulo *evangelista* reddunt, quod ceteri quoque scriptores ecclesiastici adhibere solent[47]). Apud Marium Victorinum solum legimus vocem *evangelistes*[48]) syllaba ultima ex Graeco recepta. At Tertullianus vocem *evangelizator* fingere ausus est[49]), quae postea non occurrit nisi apud Hieronymum in Matth. 10, 9 sq. et in Tit. 3, 14.

Verbum *εὐαγγελίζεσθαι*[50]) iam apud antiquos scriptores usitatum[51]) in Novo Testamento saepissime occurrit. Cuius verbi

---

[45]) Cf. Hom. Od. 14, 152. 166; Aristoph. equ. 656 etc.

[46]) Simili vi vocabulum *εὐαγγέλιον* adhibetur de decretis Caesaris Augusti in inscriptione Prienensi, cf. Ditt. O.G.I. 458, 40: *ἦρξεν δὲ τῷ κόσμῳ τῶν δι᾽ αὐτὸν εὐανγελίων ἡ γενέθλιος τοῦ θεοῦ*, quibus de verbis praeter alios egerunt Ad. Deißmann, Licht vom Osten[4], Tübingen 1923, p. 313 et 447 et Ed. Norden, Die Geburt des Kindes, Leipzig-Berlin 1924, p. 157, 2, qui hunc locum affert (Serv. Dan. Aen. 10, 272): *hic* (sc. cometes) *dicitur apparuisse eo tempore, quo est Augustus sortitus imperium; tunc denique gaudia omnibus gentibus futura sunt nuntiata.*

[47]) Cf. Priscill. tract. 3, 60. 61. 64. 69; Filastr. 45, 7; 60, 2; 67, 3; 88, 6; 89, 2; 137, 6; 153, 5; Tycon. p. 59, 27 Burkitt.

[48]) Cf. adv. Arium 1, 36.

[49]) Cf. praescr. 4; adv. Prax. 21; 23; adv. Marc. 4, 4; 5, 7; 5, 19.

[50]) Genus activum legimus in Vetere Testamento reg. I 31, 9; II 18, 19; in Novo Testamento apoc. 10, 7; 14, 6; antea in sermone Graeco non occurrit.

[51]) Cf. Aristoph. equ. 643; Demosth. 18, 323 etc.

vim Romani nullo verbo Latino recte reddere potuerunt, quam ob rem et Graecum illud in suam linguam receperunt, ita ut *evangelizare* dicerent, et verbum e verbo expresserunt, ita ut novum verbum *benenuntiandi* fingerent; nec numquam verba *nuntiandi, annuntiandi, praedicandi* adhibuerunt. In Vulgata legimus plerumque verbum *evangelizare*, rarius *annuntiare*[52]) et *evangelium praedicare*[53]). In Italae codicibus praeter haec verba saepe verbum *benenuntiandi* tradi, neque vero singulos interpretes certam ullam rationem secutos esse ex his locis collatis cognosci potest:

Matth. 11, 5: om. k, *evangelizantur* cett. Vulg.
Luc. 1, 19: *nuntiare* a, *benenuntiare* e, *evangelizare* cett. Vulg.
— 2, 10: *nuntio* gat r_2, *adnuntio* e f Cypr., *evangelizo* cett. Vulg.
— 3, 18: *benenuntiabat* e, *evangelizabat* cett. Vulg.
— 4, 18: *benenuntiare* e, *evangelizare* cett. Vulg.
— 4, 43: *benenuntiare* e, *annuntiare* Tert., *evangelizare* cett. Vulg.
— 7, 22: *benenuntiatur* e, *evangelizantur* cett. Vulg.
— 8, 1: *benenuntians* e, *adnuntians* a c, *evangelizans* cett. Vulg.
— 9, 6: *benenuntiantes* e, *evangelizantes* cett. Vulg.
— 16, 16: *adnuntiatur* e Tert., *evangelizatur* cett. Vulg.
— 20, 1: *benenuntiantem* e, *adnuntiante* a, *evangelizante* cett. Vulg.
act. 5, 42: *benenuntiantes* e p, *annuntiantes* h, *evangelizantes* d g Ir. Vulg.
— 8, 4: *benenuntiantes* p, *evangelizantes* cett. Vulg.
— 8, 12: *praedicanti evangelium* e, *bene adnuntianti* p, *evangelizanti* d g Vulg.
— 8, 25: *bene adnuntiaverunt* p, *praedicebant ev.* g, *praedicati sunt ev.* e, *evangelizabant* Vulg.
— 8, 35: *benenuntiavit* p, *evangelizavit* e g Vulg.
— 8, 40: *benenuntiabat* p, *praedicabat* g, *evangelizabat* e Vulg.
— 10, 36: *benenuntians* p, *evangelizare* d, *annuntians* e g t m Vulg.
— 11, 20: *benenuntiantes* p, *evangelizare* d, *praedicantes* g, *annuntiantes* e Vulg.
— 13, 32: *evangelizamus* d, *annuntiamus* e g Vulg.
— 14, 7: *benenuntiabant* h, *praedicabant ev.* g, *adnuntiantes* e, *evangelizantes erant* d Vulg.

---

[52]) Cf. act. 10, 36; 11, 20; 13, 32; 14, 15; 17, 18; ep. ad Thess. I 3, 6; ep. ad Hebr. 4, 2 (*nuntiatum*); 4, 6.

[53]) Cf. ep. ad Rom. 15, 20; ep. ad Cor. I 9, 18.

act 14, 15: *nuntiantes* h, *evangelizantes* m Ir., *evangelizamus* d, *annuntiantes* e g Vulg.

— 14, 21: *benenuntiavit* h, *praedicassent* g, *evangelizantes* e, *evangelizassent* Vulg.

— 15, 35: *evangelizantes* d e g Vulg.

— 16, 10: *adnuntiare* e, *evangelizare* d g Ir. Vulg.

— 17, 18: om. d g, *annuntiabat* e Vulg.

ep. ad. Rom. 1, 15: *evangelizare* d g Vulg.

— 10, 15: *evangelizantium* d f g Tert. Ir. Vulg.

— 15, 20: *evangelizare* f g, *praedicavi evangelium* d Vulg.

ep. ad Cor. I 1, 17: *adnuntiare* Cypr., *evangelizare* d f g r Vulg.

— 9, 16: 1. *evangelizem* d g, *evangelizavero* f Vulg.
2. *evangelizem* d, *evangelizem* (*evangelizavero*) g, *evangelizavero* f Vulg.

— 9, 18: *evangelizans* d f g, *evangelium praedicans* Vulg.

— 15, 1: *evangelizavi* d g, *praedicavi* f Vulg.

— 15, 2: *evangelizavi* d g, *praedicaverim* f Vulg.

— II 10, 16: *evangelizare* d f g r Vulg.

— 11, 7: *praedicavi* g, *evangelizavi* d f r Vulg.

ep. ad Gal. 1, 8: *evangelizaverit* — *evangelizavimus* d g Tert., *adnuntiet* — *adnuntiavimus* Cypr. bis

— 1, 9: *adnuntiaverit* d g Cypr., *evangelizaverit* f Vulg.

— 1, 11: *evangelizatum est* d f g Vulg.

— 1, 16: *evangelizarem* d f g Ir. Vulg.

— 1,23: *adnuntiant* d, *evangelizat* (*annuntiat*) g; *evangelizat* f Vulg.

— 4, 13: *evangelizavi* d f g r Vulg.

ep. ad Eph. 2, 17: *annuntiante* Tert., *adnuntiavit* Cypr., *evangelizavit* d f g Vulg.

— 3, 8: *evangelizare* d f g Vulg.

ep. ad Thess. I 3, 6: *bene annuntiante* g, *annunciante* d f Vulg.

ep. ad Hebr. 4, 2: *adnuntiatum est* d, *nuntiatum est* f Vulg.

— 4, 6: *annuntiatum est* f Vulg.

ep. Petri I 1, 12: *evangelizaverunt* r Vulg.

— 1, 25: *evangelizatum est* Vulg.

— 4, 6: *evangelizatum est* Vulg.

apoc. 10, 7: *annuntiavit* g, *evangelizavit* Prim. Vulg.

— 14, 6: *adnuntiaret* Cypr., *evangelizaret* g Prim. Vulg.

In Vetere Testamento verbum *evangelizare* cum in historiarum libris numquam tum in libris Psalmorum et Prophetarum his

locis occurrit: ps. 67 (68), 11; Nah. 1, 15 (2, 1); Is. 40, 9; 61, 1 (in Ps. Aug. Speculo, Vulgata habet *ad adnuntiandum*). Ceteris locis semper verba *nuntiandi* et *adnuntiandi* adhibentur[54]).

Scriptores ecclesiastici in verbo εὐαγγελίζεσθαι vertendo aliam rationem secuti sunt atque Italae interpretes, nam cum verbum *benenuntiandi* nonnisi Hil. in Matth. 11, 3 et epist. Barnabae 14, 9 legamus[55]), tum verbum *evangelizandi* Cypriano et Lactantio exceptis apud Tertullianum ceterosque scriptores ecclesiasticos saepius occurrit, cf. Tert. resurr. 50; adv. Prax. 11; adv. Marc. 3, 22; 4, 2. 4 et saepius; Iren. 1, 23, 1; Hil. trin. 8, 25 et postea saepe. — In Patrum apostolicorum operibus legimus verbum *evangelizandi* epist. Clem. I 42, 1. 3; Pol. ad Phil. 6, 3. Epist. Barn. 8, 3 *nuntiaverunt* traditur et 14, 9 *benenuntiare*.

μετάνοια, μετανοεῖν etc.

Vocibus μετάνοια et μετανοεῖν Graeci antiqui numquam utuntur de hominibus, qui se peccavisse et poena divina dignos esse confitentur, qua vi haec vocabula semper in Novo Testamento adhibentur[56]). Nec fuerunt Romanis apta vocabula, quibus Graeca illa interpretarentur. Sed populus Romanus verbum *paenitendi* aliquo modo ad vocem *poenae* pertinere ratus mutavit in verbum *poenitendi*, quo postulata illa, quae Christus et apostoli sancti nuntiaverant, Latine reddebat eademque ratione vox *paenitentiae* saepe in vocem *poenitentiae* mutabatur. Quae vox et in Itala et in Vulgata semper occurrit pro Graeca μετάνοια[57]) praeter reg. I 15, 29,

---

[54]) Cf. reg. I 31, 9; II 1, 20; 4, 10; 18, 19. 20 etc.

[55]) Cf. Thes. L. L. II 1890.

[56]) De sententia Democrito attributa 55 B 43 D cf. Ed. Norden, Agnostos Theos, Leipzig 1913, p. 134sqq.

[57]) In Vetere Testamento legimus vocem μετάνοια: prov. 14, 15; sap. 11, 23; 12, 10. 19; Sirach 44, 16; in Novo Testamento: Matth. 3, 8. 11; Marc. 1, 4; 2, 17; Luc. 3, 3. 8; 5, 32; 15, 7; 24, 47; act. 5, 31; 11, 18; 13, 24; 19, 4; 20, 21; 26, 20 et saepius.

quo loco cum LXX habeant *οὐκ ἀποστρέψει οὐδὲ μετανοήσει*, tum Vulgata tradit: *poenitudine non flectetur*. Vox *poenitudinis* praeter hunc locum in Litteris Sanctis occurrit deut. 30, 1: *ductus poenitudine cordis* (LXX: *δέξῃ εἰς τὴν καρδίαν σου*) et Os. 11, 8: *conversum est in me cor meum et pariter conturbata est poenitudo mea* (LXX: *μετεστράφη ἡ καρδία μου ἐν τῷ αὐτῷ, συνεταράχθη ἡ μεταμελία μου*).

Praeterea vox *poenitudinis* in sermone Latino his locis occurrit: Iul. Valer. 2, 29; Itin. Alex. 40; Don. Ter. hec. 90; Auson. 305, 21. Apud Pacuvium (fr. 313 Ribb., ex Teucro fabula) non paenitentia peccatorum, sed penuria quaedam significari videtur[58]). Apud scriptores ecclesiasticos legimus hoc vocabulum multo rarius quam vocem *poenitentiae*[59]).

Verbum *μετανοεῖν* in Itala et Vulgata exprimitur verbis *poenitere, poeniteri, poenitet me, poenitentiam agere, p. habere, p. gerere, misereri.*

In Vetere Testamento verbum *μετανοεῖν* saepe indicat Deum hominum miserere et prioris severitatis paenitere. His locis Hieronymus tum verbis *poeniteo* aut *poenitet me* utitur, tum verbis *misereor, ignosco* similibus. Liceat mihi hos locos enumerare:

Am. 7, 3. 6: *misertus est dominus*

Ioel 2, 13: *πολυέλεος καὶ μετανοῶν* = *multae misericordiae et praestabilis*, quem locum in Ps. Aug. Speculo allatum esse invenimus verbis: *quia misericors et patiens est*

Ion. 3, 9: *ignoscat*

— 3, 10: *misertus est*

— 4, 2: *ignoscens*

Zach. 8, 14: *sum misertus*

Ier. 4, 28: *poenituit me*

— 18, 8 (10): *agam poenitentiam.*

---

58) Cf. Ed. Norden, Agnostos Theos p. 139 et Joh. Steinthal, De interpolationibus Plautinis, diss. Berol. 1918, p. 45.

59) Ex Thesauro L. L. hos locos hausi: Filastr. 89, 5; 107, 12; 115, 7. 8. 9; 125, 3; 132, 5. 7; Ambr. poen. 1. 5. 10; Hier. adv. Ruf. 2, 7; in Is. 15, 3; 26, 11; 65, 6. 7; in ep. Eph. 4, 17sq.; adv. Iovin. 2, 8; adv. Pelag. 1, 30; 2, 5. 7; epist. 55, 2, 4.

Iis locis, ubi de hominibus agitur, qui pro facinoribus poenam Dei exspectant et se noxios esse confitentur, Hieronymus plerumque verbis *poeniteo, poenitentiam ago* etc. utitur. Hos locos notavi:

sap. 5, 3: *ἐροῦσιν ἐν αὐτοῖς μετανοοῦντες* = *dicent intra se poenitentiam agentes*

Sirach 17, 24 (20): *πλὴν μετανοοῦσιν ἔδωκεν ἐπάνοδον* = *poenitentibus autem dedit viam iustitiae*, quae sententia etiam Ps. Aug. Speculo (= m) affertur.

— 48, 15 (16): *οὐ μετενόησεν ὁ λαός* = *non poenituit populus*

Ier. 8, 6: *οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος μετανοῶν ἀπὸ τῆς κακίας αὐτοῦ* = *nullus est qui agat poenitentiam super peccata sua*, m: *paenitentiam agens.*

Prov. 20, 25, ubi Hieronymus pro Graeco *μετανοεῖν retractare* dicit, non de peccatis agitur, sed verbum *μετανοεῖν* hoc loco idem significat quod apud Graecos antiquos: homines paenitere prioris consilii, quod falsum et inutile esse cognoverunt.

Quibuscumque Novi Testamenti locis verbum *μετανοεῖν* legimus, agitur de peccatis, quae homines confiteri debent. Quam vim hoc verbum nonnisi in Litteris Sanctis et scriptis Hermeticis habere Norden demonstravit. Hieronymus hoc verbum plerumque verbo *paenitentiam ago* reddit, neque vero desunt verba *poeniteo, poeniteor, poenitet me, poenitentiam habeo*[60]). Si inquiremus, quibus verbis Italae interpretes faveant, cognoscemus eos cum plerumque cum Hieronymo consentiant, tum nonnumquam praeferre Vulgatae verbo *poenitentiam ago* verba *poeniteo, poeniteor, poenitentiam habeo* vel *p. ago*, id quod itellegas ex hac tabula evangeliorum:

Matth. 3, 2: *poenitemini* k, *poenitentiam initote* Tert., *poenitentiam agite* cett. Vulg.

— 4, 17: om. k, *poenitemini* d, *poenitentiam agite* cett. Vulg.

— 11, 20: *poenituerint* d, *poenitentiam egerunt* k ff, *p. egissent* cett. Vulg.

— 11, 21: *poeniterent* k, *poenituissent* d, *poenitentiam egissent* cett. Vulg.

— 12, 41: *poenituerunt* k, *poenitentiam egerunt* cett. Vulg.

Marc. 1, 15: *poenitentiam agite* a b, *poenitemini* cett. Vulg.

— 6, 12: *poenitentiam agerent* Itala Vulg.

---

[60]) Cf. Marc. 1, 15; Luc. 10, 13; 13, 3; 17, 4; act. 3, 19; apoc. 2, 21.

Luc. 10, 13: *poenitentiam egissent* a b c d q r, *poeniterentur* i l, *poeniterent* aur e f gat Vulg.

— 11, 32: *poenituit eos* c, *poenitentiam gesserunt* e, *p. egerunt* cett. Vulg.

— 13, 3: *poenitentiam egeritis* a d e r, *p. habeatis* b q, *p. habueritis* aur c f ff_2 gat Vulg.

— 13, 5: *poenitueritis* c d ff_2, *poenitentiam habueritis* g_2 q r, *credideritis* b, *poenitentiam egeritis* a aur e f gat l Vulg.

— 15, 7: *poenitentiam habente* b ff_2 i q Vulg.-W., *poenitentiam agente* a aur c d e f gat l r Cypr. Vulg.-C.

— 15, 10: *poenitentiam habentem* i q, *p. agentem* cett. Vulg.

— 16, 30: *poenitebuntur* d, *persuadebit illis* b c ff_2 i l q r, *p. agent* a aur e f gat m Vulg.

— 17, 3: *poenitentiam habuerit* b c ff_2 i l q r, *p. egerit* a aur d e f gat m Vulg.

— 17, 4: *poenitentiam ago* a e s, *poeniteor* b d, *poenitet me* cett. Vulg.

Videmus igitur codices d e k verbis *poenitere* et *poeniteri* favere, alii codices (b ff_2 i q) saepius verbum *poenitentiam habere* tradunt. Sed hi quoque codices nonnullis locis tradunt verbum *poenitentiam agere*[61]). —Ergo verbum *poenitentiam agere*, etsi iam in antiquis versionibus occurrit, tamen in Itala minus usitatum est quam in Vulgata; neque vero Vulgata plane caret illis verbis, quibus priores interpretes faverunt[62]). Quibus ex verbis *poeniteri* illud, quod in codd. d e k saepius legimus, antea in litteris Latinis non videtur occurrere, neque verborum *poenitentiam habeo* et *poenitentiam gero* exempla apud antiquos auctores novimus. At *poenitentiam agere* dicunt iam Plinius (epist. 7, 10) et Petronius (132).

Similiter Romani verbum *μεταμέλεσθαι* interpretati sunt, quod in Novo Testamento quinquies exstat:

Matth. 21, 29: *poenitentia ductus* d ff_1 r, *poenitentia motus* a aur b c e ff_2 g_1 gat h l q Vulg.

— 21, 32: *poenituistis* d, *poenitentiam egistis* h q, *p. habuistis* a aur b c e f ff_2 g_1 gat l r Vulg.

— 27, 3: *poenitentia ductus* Itala Vulg.

---

[61]) Cf. Matth. 11, 20, ubi codex k *poenitentiam egerunt* praebet, et Luc. 10, 13, ubi d accedentibus codd. a b c q r contra Vulgatam *poenitentiam egissent* tradit.

[62]) Cf. Marc. 1, 15; Luc. 10, 13; 13, 3; 17, 4.

ep. ad Cor. II 7, 8: *poenitet* — *poeniteret* Itala Vulg. Hebr. 7, 21: *poenitebit* d f r, *poenitet* Vulg.

In Vetere Testamento plerumque *poenitet eum* adhibetur[63]), par. I 21, 15 occurrit sententia: *misertus est super magnitudine*; Zach. 11, 5: *non parcebant*. Videmus igitur interpretes Romanos verbum *μεταμέλεσθαι* iisdem fere verbis Latinis reddere, quibus pro verbo *μετανοεῖν* utuntur.

Vocabulum *ἀμεταμέλητος* Latine reddere difficilius fuit. Ep. ad Rom. 11, 29 Vulgata praebet pro Graeco *ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα . . . τοῦ θεοῦ sine poenitentia sunt dona Dei* accedentibus codd. d f g; et ep. ad Cor. II 7, 10: *ἡ κατὰ θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον ἐργάζεται quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur* d f g m Vulg. tradunt[64]).

Pro vocabulo Graeco *ἀμετανόητος* (ep. ad Rom. 2, 5) cum in codice d *sine poenitentiam* (sic) legamus, tum ceteri codices et Vulgata praebent vocem *impoenitens*, quae praeterea occurrit Ps. Quint. decl. 3 b p. 63, 24. 27; 64, 3 Lehnert; Hil. in ps. instr. 10; in ps. 118 Lamed 12, 464; 134, 6; Ps. Ambr. laps. virg. 9, 40; Ambrosiast. in Rom. 2, 5. 6; Hier. epist. 147, 1; hom. Orig. in Ez. 10 p. 976 Vall.; in Is. 2, 4 (34).

Apud Patres apostolicos vocabula *μετάνοια* et *μετανοεῖν* simili ratione verti solent atque in Novo Testamento, sed vox *μετάνοια* in Hermae Pastoris versionibus non solum vocabulo *poenitentiae*, sed interdum vocabulis *regressus* (Vulg.)[65]) et *regressionis* (p)[66]) redditur. Pro Graeco *ἀμεταμέλητος* legimus *sine poenitentia* ep. Clem. I 54, 4; 58, 2 (bis), non est translatum ep. Clem. I 2, 7.

βαπτίζειν, βαπτιστής, βαπτισμός, βάπτισμα

Artis illud vocabulum *βαπτίζειν*, quod in Novo Testamento homines in Christum credentes aqua mergi et hoc ritu peccata

[63]) Cf. exod. 13, 17; reg. I 15, 35; ps. 105 (106), 45; 109 (110), 4; Ier. 20, 16; Macc. I 11, 10.

[64]) At cf. Aug. civ. 14, 8; serm. 254, 2: *in salutem impoenitendam*, quod vocabulum antea adhibuit Apuleius met. 11, 28: *impoenitendae te pauperiei cunctaris committere*.

[65]) Cf. sim. 8, 8, 3. 5; 8, 9, 4; 8, 10, 2; 9, 20, 4 (*regressus ad poenitentiam*).

[66]) Cf. sim. 8, 8, 3. 5; 8, 9, 4; 9, 20, 4 (*regressio ad poenitentiam*). *Reversionis* vocabulum occurrit sim. 8, 10, 2.

maculasque prioris vitae quasi ablui significat[67]), interpretes Litterarum Sanctarum in sermonem Latinum receperunt. Itaque in Itala et Vulgata verbum *βαπτίζειν* verbo *baptizandi* exprimi solet. Act. 1, 5 solum in codice Laudiano (e)[68]) et in codice p vocabulum *tinguendi* et Marc. 10, 38 sq. in codice k formas *baptizior*, *baptiziari*, *baptiziamini* legimus. Apud Tertullianum, quotiens Novi Testamenti sententias affert, semper verbum *tinguendi* occurrit[69]) praeter ep. ad Cor. I 15, 29, ubi *baptizantur* legimus. Etiam in suis sententiis Tertullianus verbo *tinguendi* uti solet, quam rationem posteriores quoque scriptores secuti sunt[70]). Contra verbum *baptizandi* scriptores ecclesiastici raro adhibuerunt[71]). In Vetere Testamento verbum *βαπτίζειν* reg. IV 5, 14 verbo *lavandi*, iud. 12, 7 et Sirach 31 (34), 25 (30) verbo *baptizandi* redditur. Etiam in Patrum apostolicorum operibus verbum *βαπτίζειν* verbo *baptizandi* redditur, cf. ep. Clem. I 42, 4 et Herm. vis. 3, 7, 3 (p Vulg.). Ergo hoc verbum, si rem omnem spectas, Italae et Vulgatae proprium esse apparet.

Simili modo ac verbum *βαπτίζειν* verbo *baptizandi* vocabulum *βαπτιστής* transfertur vocabulo *baptistae*, quod et in Italae codicibus et in Vulgata semper legimus codice k excepto, qui ut pro Graeco illo *βαπτίζειν* verbum *baptiziandi* ita pro vocabulo *βαπτιστής* vocabulum *baptiziatoris* tradit[72]), atque apud Tertullianum, qui Matth. 11, 11 et Luc. 7, 28 affert, legimus vocabulum *baptizatoris*.

Vocabula *βαπτισμός* et *βάπτισμα*, quae nonnisi in scriptis Christianis occurrunt[73]), Romani vocabulis *baptisma*, *baptismus*,

---

[67]) Apud Graecos antiquos hoc verbum rarius occurrit, nonnumquam translate adhibetur, cf. Plat. symp. 176b; Euthyd. 277d; Zenon. 1, 53 Arnim; Polyb. 1, 51, 6; 16, 6, 2.

[68]) Ceteris locis etiam codex e verbum *baptizandi* praebet, cf. act. 1, 5 altero loco; 2, 38. 41; 8, 12. 13. 16.

[69]) Cf. Matth. 3, 6. 11; 28, 19; Ioh. 4, 2; ep. ad Rom. 6, 3; ep. ad Cor. I 1, 14. 15. 17; ep. ad Gal. 3, 27.

[70]) Cf. Tert. bapt. 2, 4. 5. 9 et saepius; pudic. 6. 14. 17; ieiun. 8; patient. 3; adv. Marc. 1, 23. 24. 29 etc.; Cypr. epist. 27, 3; Lact. inst. 4, 15, 2; Mar. Victorin. adv. Arium 3, 16; Hil. hymn. CSEL 65 p. 222, 63; Ambrosiast. in Eph. 4, 11; Hier. epist. 46, 13, 2.

[71]) Cf. Filastr. 5, 2; Optat. 5, 5 p. 131, 7; Aug. in ps. 140, 8; civ. 17, 8; 18, 54; c. Iul. 6, 9, 26; serm. 51, 31; ed. Mai 6, 3; cf. Thes. L. L. II 1720.

[72]) Cf. Matth. 3, 1; 11, 11. 12; 14, 2. 8; Marc. 8, 28.

[73]) Ioseph. ant. 18, 117, ubi Iohannis baptistae meminit, semel vocabulo *βαπτισμός* usus est.

baptismum sine ullo discrimine adhibitis reddunt. Ep. Barn. 11, 1 legimus vocabulum *tinctionis*, quod neque in Italae codicibus neque in Vulgata occurrit. Ceteri scriptores ecclesiastici hoc vocabulum vitant[74]). Apud Cyprianum autem legimus epist. 71, 1: *duo baptismata ipsi faciunt, dum et apud haereticos baptisma esse dicunt, aut certe quod est gravius haereticorum sordidam et profanam tinctionem vero et unico et legitimo ecclesiae catholicae baptismo praeponere et praeferre contendunt* et epist. 75, 8 (Firmiliani): *nos eos qui ab haeresi ad ecclesiam veniunt post illicitam et profanam eorum tinctionem baptizare dubitamus*. Quibus ex locis vocabulum *tinctionis* nonnisi haereticorum baptismum significare concludi posse videtur, sed obstat ea res, quod scriptores ecclesiastici verbum *tinguendi* non solum sine ulla dubitatione, sed multo saepius quam verbum *baptizandi* adhibent.

ἁγιάζειν, ἁγιασμός

Scriptores ecclesiastici Graeci verbum ἁγίζειν, quod saepe occurrit apud antiquos scriptores[75]), numquam usurpant, sed novum verbum ἁγιάζειν fingunt, quod non solum hostias aut templa sancta fieri significat, sed etiam pios homines qui in Deum et Christum credunt[76]). In sermone Latino nullum verbum fuit, quod idem significaret ac Graecum illud verbum. Nonnumquam verba *consecrandi* et *vovendi* usurpabantur, sed novum quoque verbum creatum est *sanctificandi*, quod iam in antiquis Italae versionibus solum adhibetur. Neque in Tertulliani neque in Cypriani Bibliis Sanctis aliud verbum invenimus, sed omnes interpretes statim usurpavisse videntur novum illud verbum *sanctificandi*. Atque ubicumque

---

[74]) At cf. Aug. serm. 210, 2, 3: *Iordanis tinctio*; in ev. Ioh. 62, 3: *per panis tinctionem*, ubi de ultima illa cena Christi agitur.

[75]) Cf. Passow-Crönert: βούθυτον ἑστίαν Soph. Oed. Col. 1495; ἀπαρχάς Dion. Hal. 4, 2; Diod. 4, 73 etc.

[76]) Cf. Preuschen-Bauer: ex. 19, 21; Sirach 36, 12; 45, 4; act. 20, 32; 26, 18; ep. ad Cor. I 1, 2 etc.

apud Patres apostolicos verbum ἁγιάζειν occurrit[77]), semper in antiquis versionibus verbum *sanctificandi* legimus. Quam rationem etiam Hieronymus sequitur in Vetere Testamento vertendo paucis locis exceptis, quibus verba *consecrandi, vovendi, offerendi* occurrunt. Hos Veteris Testamenti locos collegi:

exod. 13, 12: *consecrabis*
— 29, 1: *consecrentur*
— 29, 21: *consecratis*
— 29, 36: *ad expiandum*
lev. 8, 12: *consecravit*
— 22, 3: *obtulerunt*
— 27, 15: *voverat*
— 27, 16: *consecraverit*
— 27, 17: *voverit*
— 27, 19: *voverat*
num. 5, 10: *offertur*
— 18, 29: *quae offeretis*
deut. 33, 3: *sancti*
iud. 17, 3: *consecravi et vovi*
par. I 18, 11: *consecravit*
— 26, 27: *consecraverunt*
— II 2, 4: *consecrem*
— 26, 18: *qui consecrati sunt*
— 31, 6: *voverant*
Esdr. 3, 5: *consecratae*
Sirach 14, 16: *iustifica*
— 36 (33), 9: *magnificavit*
— 45, 4: *sanctum fecit*
— 49, 7 (9): *consecratus est.*

Libri Ecclesiastici interpretem etiam verbum *sanctificandi* novisse et saepius adhibere cognoscas ex indice Bibliorum Sanctorum. In Italae codice Lugdunensi legimus verbum *sanctificandi* non solum iis locis, quibus Hieronymus id verbum adhibet, sed etiam iis locis, quibus Vulgata alia verba habet[78]).

---

[77]) Cf. ep. Clem. I 46, 2; 59, 3; ep. Barn. 15, 1. 6. 7; Herm. vis. 3, 9, 1 (p Vulg.).

[78]) Cf. exod. 29, 1. 21. 36; lev. 8, 12; 27, 15. 16. 17. 19; num. 18, 29; deut. 33, 3; iud. 17, 3.

A scriptoribus ecclesiasticis saepe verbum *sanctificandi* eadem vi atque in Novo Testamento adhibetur[79]).

Eodem fere modo quo verbum *ἁγιάζειν* verbo *sanctificandi* vox *ἁγιασμός* in Litteris Sanctis plerumque voce *sanctificationis* exprimitur. Quam vocem solam interpretes adhibere solent iis locis, quibus non agitur de hominibus et rebus, qui iam sancti sunt, sed de iis, qui tum sancti fiunt, ita ut actus *sanctificandi* significetur. At ubicumque de hominibus aut rebus agitur, qui iam sancti sunt, praeter vocem *sanctificationis* interdum legimus voces *sanctimonium*, *sanctimonia*, *sanctitas* vel similes.

Omnibus Novi Testamenti locis invenimus et in Italae codicibus et in Vulgata praeter ep. ad Hebr. 12, 14 vocem *sanctificationis*. Solum ep. ad Tim. I 2, 15 Ps. Augustini quod Speculum inscribitur opus (m) vocem *sanctitatis* habet pro voce *sanctificationis* codicibus d f g et Vulgata tradita. Hebr. 12, 14 nullo codice vox *sanctificationis* traditur, sed cum in codice d *sanctimonium* tum in codice f et in Vulgata legimus vocem *sanctimoniae*, quam Tertullianus in sententia ep. ad Thess. I 4, 3. 4 allata usurpavit. Ep. ad Rom. 6, 19. 22 Tertullianus *in sanctificium* scripsit, quae vox praeter hos locos in sermone Latino nusquam occurrit nisi in Vulgatae versione ps. 77, 69, in quo versu antiquissimam versionem codice Casinensi traditam vocem *sanctimonium* adhibere invenies.

In Vetere Testamento Hieronymus vocem *ἁγιασμός*, quae raro occurrit, numquam voce *sanctificationis* reddidit, sed Am. 2, 11[80]) *nazoraeos*[81]) scripsit et Ier. 6, 16[82]) legimus cum in Ps. Aug. Speculo

---

[79]) Ex Thesauri L. L. schedis hos locos hausi: Tert. nat. 2, 16; orat. 3 sexies; bapt. 4; pudic. 18; anim. 39; adv. Prax. 12; ux. 1, 8; 2, 2; virg. vel. 9; Cypr. epist. 69, 2. 8. 10 et saepius; Novat. trin. 27 (22), 12; Iuvenc. 1, 591; 4, 450; Mar. Victorin. adv. Arium 3, 12 bis; 3, 15. 16; Hil. c. Const. 25; in Matth. 3, 1; 6, 1; 17, 8; 24, 6 bis; myst. p. 3, 12; 5, 7. 26; 26, 16 Gam.; Ps. Hil. libell. 7; Optat. p. 135, 8; 148, 14; 149, 3; Filastr. 120; Fulg. aet. mund. 137, 6; 145, 7 H.; Ambr. off. 2, 20, 98; de virginit. 11, 65; hexam. 4, 4, 13; de parad. 3, 16; Cain et Ab. 1, 10, 45; Hier. epist. 22, 21, 3; 24, 2; 64, 6, 1 = lev. 21, 15; hom. Luc. 19; ep. Philem. 1, 4sq. et postea.

[80]) LXX: *ἔλαβον ἐκ τῶν νεανίσκων ὑμῶν εἰς ἁγιασμόν.*

[81]) De nazoraeis cf. Ed. Meyer, Ursprung und Anfänge des Christentums II, Stuttgart-Berlin 1921, p. 423, 2.

[82]) LXX: *εὑρήσετε ἁγιασμὸν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν.*

vocem *sanctificationis* tum in Vulgata *refrigerium.* Sed Hieronymum vocem *sanctificationis* consulto vitasse affirmare non ausim. Ez. 45, 4 Vulgata cum LXX non congruere videtur. Tum porro vox *ἁγιασμός* occurrit in libris Ecclesiastici et Maccabaeorum, quos libros Hieronymum non denuo transtulisse supra commemoravimus. LXX habet

Sirach 7, 31 (35): *καὶ θυσίαν ἁγιασμοῦ καὶ ἀπαρχήν*
— 17, 10 (8): *καὶ ὄνομα ἁγιασμοῦ αἰνέσουσιν*
Macc. II 2, 17: *ὁ δὲ Θεὸς . . . ἀποδοὺς πᾶσιν . . . τὸν ἁγιασμόν*
— II 14, 36: *ἅγιε παντὸς ἁγιασμοῦ Κύριε*

quibus locis praeter Macc. II 14, 36, ubi *sancte sanctorum omnium Domine* legimus, in versione Latina semper vox *sanctificationis* adhibetur.

Quod ad Patres apostolicos pertinet, ep. Clem. I 30, 1: *ἁγία οὖν μερὶς ὑπάρχοντες ποιήσωμεν τὰ τοῦ ἁγιασμοῦ πάντα* et 35, 2: *πίστις ἐν πεποιθήσει, ἐγκράτεια ἐν ἁγιασμῷ* non homines qui sancti fiunt, sed qui propter fidem et religionem suam iam sancti sunt, significari apparet, quam ob rem in versione Latina non vocem *sanctificationis*, sed vocem *sanctitatis* adhiberi non miramur.

Scriptores ecclesiastici vocem *sanctificationis* ab interpretibus Litterarum Sanctarum creatam usurpare primo dubitaverunt. Nam apud Tertullianum et Cyprianum hoc vocabulum nonnisi binis locis occurrit, quibus de baptismo agitur[83]). Postea scriptores ecclesiastici vocabulum *sanctificationis* saepius adhibuerunt[84]). Itaque Litterarum Sanctarum versionibus factum esse videtur, ut vox *sanctificationis* a Romanis magis magisque in usum reciperetur. Contra vox *sanctimonii*, quae ep. ad Hebr. 12, 14 in codice d tradi-

---

[83]) Cf. Tert. bapt. 4: *igitur omnes aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur invocato deo*; bapt. 10: *agebatur igitur baptismus paenitentiae quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae*; Cypr. epist. 69, 15: *cum tamen ad aquam salutarem atque ad baptismi sanctificationem venitur*; epist. 73, 18: *baptismi sanctificationem consequitur.*

[84]) Cf. Novat. trin. 27 (al. 22), 12. 13; Mar. Victorin. gen. div. verb. 31; adv. Arium 3, 16; Hil. in Matth. 20, 4; 25, 3; myst. p. 5, 28; 11, 10. 12; 15, 18 Gam.; Lucif. Ath. 1, 13; Priscill. tract. 1; Ambr. inst. virg. 17, 114; Iacob I 8, 38; II 4, 19; patr. 1, 1; parad. 14, 72; Cain et Ab. 1, 10, 46; Hier. adv. Iovin. 1, 16; in Eph. 1, 1; quaest. hebr. in gen. p. 36, 20 et postea.

tur, vocem *sanctimoniae* iam ante usitatam[85]) non vicit, sed postea nonnisi his locis legitur: Cypr. epist. 2, 14: *coronam tibi non tantum in confessione, sed et in sanctimonio tradidit*, ubi martyrium significari videtur; epist. 75, 12; Ambrosiast. in ep. Cor. I 7, 35; in ep. Tim. II 3, 6 et nonnumquam apud Augustinum.

δικαιοῦν, δικαίωσις, δικαίωμα, δικαιοσύνη

Verbum *δικαιοῦν* apud Graecos antiquos eandem fere vim habet atque aliquid iustum esse censere aut aliquem poena multare[86]). Ex multis locis hos affero: Herod. 1, 89: *δικαιῶ . . . σημαίνειν σοι*; 1, 100: *κατ' ἀξίην ἑκάστου ἀδικήματος ἐδικαίευ*; Soph. Oed. R. 640: *δεινά με δρᾶσαι δικαιοῖ*; Thuk. 2, 41: *δικαιοῦντες μὴ ἀφαιρεθῆναι αὐτήν*.

In Litteris Sanctis hoc verbum nova vi ornatum idem fere significare solet atque aliquem iustum esse censere. Quamquam singulis locis verbo *δικαιοῦν* variae exprimi sententiae nobis videntur, de quibus hic diffusius disputare longum est, Romani in Litteris Sanctis vertendis semper verbo *iustificandi* utuntur, quod antea in sermone Latino non occurrit. Et in Italae codicibus et in Vulgata nonnisi hoc verbum legimus libris historiarum exceptis, ubi Hieronymus verbum *δικαιοῦν* nonnumquam aliis sententiis explicat[87]). Eandem rationem interpretes Patrum apostolicorum

---

[85]) Cf. Rhet. Her. 4, 33, 44; Cic. Quinct. 55. 93; Rab. perd. 30; Tac. ann. 2, 86, 3; 3, 69, 22; 12, 6, 4; Gell. 6, 18 tit.; 17, 2, 19; Apul. met. 10, 24.

[86]) Aliter Aesch. Ag. 393: *κακοῦ δὲ χαλκοῦ τρόπον*
τρίβῳ τε καὶ προσβολαῖς
μελαμπαγὴς πέλει
δικαιωθείς.

[87]) Cf. gen. 38, 26: *iustior est*; 44, 16: *iuste obtendere*; deut. 25, 1: *iustitiae palmam dabunt*; reg. I 12, 7: *iudicio contendam*; reg. II 15, 4: *iuste iudicem*.

operum secuti sunt, nam praeter Herm. mand. 5, 1, 7, ubi cum Vulgata *iustificati sunt*, tum versio Palatina *in numero proborum recipiuntur* praebet, et sim. 5, 7, 1, ubi cum in Vulgata *tecum fuisse iudicetur* tum in versione Palatina *salvetur* legimus, semper verbum *iustificandi* adhibetur[88]. Etiam scriptores ecclesiastici hoc verbum saepissime adhibuerunt[89].

Ut verbum *δικαιοῦν* verbo *iustificandi*, ita vocabulum *δικαίωσις*[90] in Novo Testamento Latino vocabulo *iustificationis* redditur[91]. In Vetere Testamento, ubi vocabulum *δικαίωσις* nonnisi lev. 24, 22 occurrit, Hieronymus vocabulum *iudicii* adhibuit.

Vocabulo *iustificationis* saepe etiam vocabulum *δικαίωμα* exprimitur, quod cum apud Graecos antiquos[92] et in Vetere Testamento varia, tum in Novo Testamento plerumque mandata Dei et Christi significat. Hieronymus in Novo Testamento vertendo utitur pro Graeco illo *δικαίωμα* vocabulo *iustificationis* Luc. 1, 6; ep. ad Rom. 5, 16; 8, 4; ep. ad Hebr. 9, 1; apoc. 19, 8; vocabulo *iustitiae* ep. ad Rom. 1, 32; 2, 26; 5, 18; ep. ad Hebr. 9, 10, quibus locis etiam Italae codices cum Vulgàta congruunt. Vocabulum *iudicii* sententiae aptum apoc. 15, 4 (h Prim. Vulg., *iustificationes* g) legimus. Iis locis, quibus Vulgata vocem *iustificationis* praebet, pauci Italae codices vocem *iustitiae* tradunt[93]. In Vetere Testamento Hieronymus vocabulum *δικαίωμα*, ut varia significat, ita

---

[88]) Cf. ep. Clem. I 8, 4; 16, 12; 18, 4; 30, 3; 32, 4; ep. Barn. 4, 10; 6, 1; 15, 7; Herm. vis. 3, 9, 1.

[89]) Cf. Tert. idol. 20; adv. Marc. 2, 19. 25; 4, 17. 18. 29. 33. 35 et saepius; monog. 6; pat. 7; cast. 7; Cypr. epist. 25; 63, 4; 69, 10 et saepius; Ps. Mar. Victorin. hymn. 3; Hil. in Matth. 8, 6; 12, 19; 21, 2; myst. p. 12, 12 Gam.; trin. 5, 15; in ps. 52, 5; Optat. p. 57, 7; Lucif. Ath. 1, 14. 30. 39. 41; Filastr. 79, 8; 147, 2; 156, 8; Tycon. p. 13, 6; 20, 17 Burkitt; Ambr. off. 2, 17, 90; 2, 22, 114; hexam. 6, 8, 46; parad. 14, 71; Abrah. II 10, 74; Hier. epist. 21, 2, 6; 21, 3, 2; 21, 39, 2.

[90]) Apud antiquos scriptores Graecos occurrit vocabulum *δικαίωσις*, quod singulis locis varia significat, Thuc. I 141, 1; III, 82; VIII 66, 2; Lys. *ὑπὲρ τοῦ στρατ.* 8; Dion. Hal. 3, 10 et saepius; Plut. Demetr. 18; Dio C. 40, 43.

[91]) Cf. ep. ad Rom. 4, 25; 5, 18.

[92]) Cf. Thuc. 1, 41; Plat. leg. 846e; Aristot. rhet. 1359 a 25 etc.

[93]) Cf. Luc. 1, 6: *iustificationibus* aur b c f ff_2 gat l q Vulg., *iustitiis* d e r Ir.; ep. ad Hebr. 9, 1: *iustificationes* f Vulg., *iustitia* d; apoc. 19, 8: *iustificationes* g Vulg., *iustitiis* Prim.

variis vocabulis reddit[94]). Scriptores ecclesiastici vocabulum *iustificationis* saepe adhibent[95]). Quod ad Patres apostolicos pertinet, vocabulum δικαίωμα in Barnabae epistula semper vocabulo *aequitatis* redditur[96]), in Clementis epistula prima vocabulo *iustitiae*[97]); Herm. mand. 12, 6, 4 legimus in versione Palatina *in dignationibus*, in Vulgata *in mandatis*.

Vox δικαιοσύνη in Novo Testamento saepissime adhibita et ab Italae interpretibus et ab Hieronymo paucis locis exceptis[98]) vocabulo *iustitiae* redditur. In Vetere Testamento legimus tum vocabulum *iustitiae*, tum vocabula *aequitatis*, *misericordiae*, *iudicii* et similia. In Patrum apostolicorum operibus tum vox *iustitiae*, tum vox *aequitatis* adhibentur.

---

[94]) *Praeceptum*: exod. 15, 25. 26; lev. 25, 18 et saepius; *mandatum*: deut. 6, 2; 26, 16 etc.; *caerimoniae*: deut. 4, 14. 45; 5, 31 etc.; *iudicium*: exod. 21, 1; 24, 3 etc.; *iustitia*: ps. 17 (18), 22; 18 (19), 8; 49 (50), 16; 88 (89), 31; 147, 8 (19); vox *iustificationis*, quae in libro Psalmorum semper adhibetur praeter ps. 118 (119), 118 (*iudicium*), in ceteris Veteris Testamenti libris non occurrit nisi Bar. 2, 17; Macc. I 1, 49; 2, 40, ubi non Hieronymi, sed prioris alicuius interpretis versionem legimus.

[95]) Cf. Tert. pud. 18; adv. Marc. 4, 36; Hil. in Matth. 11, 9; 20, 7; 27, 7; 31, 10; myst. p. 3, 13; 18, 17; 19, 26 Gam.; in ps. 51, 9; 118 Aleph 4, 361; Beth 11, 377; Optat. p. 106, 20; Lucif. Ath. 1, 6. 7; non parc. 12, 1; Filastr. 75, 2; 128, 5; 134, 9; 156, 7. 8; Ambr. serm. Sess. 114 a; hexam. 6, 8, 46; Noe 13, 42; bon. mort. 12, 56; Hier. epist. 21, 34, 6; 53, 3, 5; 53, 9, 1.

[96]) Cf. 1, 2; 2, 1; 10, 2. 11; 16, 9.

[97]) Cf. 2, 8; 35, 7; 58, 2.

[98]) Cf. act. 17, 31: *iustitia* d g Ir., *aequitas* e m Vulg.
ep. ad Rom 8, 10: *iustitiam* Tert. Ir., *iustificationem* d f g Vulg.
9, 28: *in aequitate* d f g Vulg.
ep. ad Hebr. 1, 9: *aequitatem* d, *iustitiam* f Tert. Vulg.
11, 33: *aequitatem* d, *iustitiam* f Vulg.
ep. Ioh. I 3, 10: *qui non facit iustitiam* r, *qui non est iustus* Tert. Cypr. m Vulg.
apoc. 19, 11: *aequum iustumque* Cypr. Prim., *iustitia* g Ir. Vulg.
22, 11: (v. l. δικαιοθήτω): *iustitiam faciat* d, *iustiora faciat* Cypr. Prim., *iustificetur* Vulg.

ἀφθαρσία, ἄφθαρτος

Non solum animas, sed etiam corpora hominum, etsi post mortem aliquo modo mutabuntur, aeterna esse nec morte interire Paulus apostolus in epistulis saepe docet. Compluribus locis, quibus de Dei et hominum immortalitate agit, legimus vocabula *ἀφθαρσία* et *ἄφθαρτος*. Apud antiquos philosophos, quamquam de aeternitate mundi et deorum saepe disputaverunt, rarius tamen invenies vocabulum *ἀφθαρσία*, quod primum occurrit apud Epicurum (epist. 1 p. 28, 2 U.): *τὴν πᾶσαν μακαριότητα ἔχοντος μετὰ ἀφθαρσίας* et epist. 3, p. 60, 3: *τὴν μετὰ μακαριότητος ἀφθαρσίαν*. Apud Chrysippum legimus hanc sententiam (2, 174, 10 A.): *εἰς τὴν ὥσπερ ἀφθαρσίαν πόλυ τι αὐτῷ* (sc. *κόσμῳ*) *συνεργεῖ καὶ ἡ τῆς χώρας κατάληψις*. Saepius adhibet hoc vocabulum Philo Alexandrinus, quotiens de mundo et anima agit, cf. de vita Mosis 4, 214, 15 C.-W.: *τὴν ἐν τοῖς γένεσιν ἀφθαρσίαν*, de fuga et inv. 3, 122, 15: *ἐκείνοις . . . ἀφθαρσίαν μαρτυρεῖ*; de aet. m. 6, 72, 3: *τὸν ὑπὲρ ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου λόγον*[99]). Liceat etiam has Plutarchi sententias afferre: Arist. 6: *τὸ θεῖον τρισὶ . . . δοκεῖ διαφέρειν, ἀφθαρσίᾳ καὶ δυνάμει καὶ ἀρετῇ*; adv. Col. 1111 D: *οὐδέτερον δὲ ταῖς ἀτόμοις ὑπάρχειν φατέ προσῆκον εἶναι διὰ τὴν ἀφθαρσίαν*; Ps. Plut. de plac. phil. 881 B: *τὸ γὰρ μακάριον καὶ ἄφθαρτον ζῷον . . . ὅλον ὂν περὶ τὴν συνοχὴν τῆς ἰδίας εὐδαιμονίας τε καὶ ἀφθαρσίας*. Postea occurrit vocabulum *ἀφθαρσία* in scriptis Hermeticis et Gnosticis[100]).

Cum vox *ἀφθαρσία* in sermonem Latinum transferenda esset, exstabant vocabula *aeternitatis* et *immortalitatis*, quibus Cicero saepissime usus est. Neque vero interpretes Christiani haec vocabula usurpaverunt, sed nova finxerunt *incorruptionis* et *incorruptelae*. In Vetere Testamento vocabulum *ἀφθαρσία* solum sap. 2, 23 et 6, 19 occurrit, quos locos interpres huius libri his verbis reddit:

2, 23: *Deus creavit hominem inexterminabilem* (LXX: *ὁ Θεὸς ἔκτισεν τὸν ἄνθρωπον ἐπ᾽ ἀφθαρσίᾳ*).

6, 19: *consummatio incorruptionis* (LXX: *βεβαίωσις ἀφθαρσίας*).

---

[99]) Ceteros locos invenies in indice editionis a Cohn-Wendland curatae.

[100]) Cf. Herm. 12, 14 c: *τὰ ἀσύνθετα σώματα . . . ἀεὶ τῆς ταυτότητος τὴν ἀφθαρσίαν σώζει* et pap. Ox. 1081, 14: *τὸ δὲ γεινόμενον ἀπὸ ἀφθαρσίας οὐκ ἀπογείνεται.*

In Novo Testamento transferendo Hieronymus praeter ep. ad Cor. I 15, 53, ubi et *incorruptio* et *incorruptela* traduntur, et I 15, 50, ubi *incorruptelam* legimus, semper adhibet vocabulum *incorruptionis*[101]), quod plerumque etiam in Italae codicibus traditur. Ep. ad Tim. II 1, 10 solum legimus in codice d vocabulum *immortalitatis* et ep. ad Cor. I 15, 53 in eodem codice vocabulum *incorruptalitatem*, quod praeter hunc locum in sermone Latino nusquam occurrit et fortasse scribae errore corruptum est. At apud Tertullianum, quotiens hos locos affert[102]), totiens invenimus vocabulum *incorruptelae* praeter ep. ad Cor. I 15, 53, ubi ter *incorruptelam* scripsit. Vocem *incorruptionis* Tertullianus nusquam adhibuit. Nam resurr. 51 verba *incorruptionem et mortale istud induere* omnes codices omittunt praeter codicem Iohannis Clementis Angli a Iacobo Pamelio usurpatum, quam ob rem haec verba spuria esse et Tertullianum interpretemque quem sequitur id vocabulum aut omnino ignoravisse aut adhibere noluisse censemus. Cyprianus utitur hac voce mort. 8, ubi versus ep. ad Cor. I 15, 53 memor fuisse videtur[103]). Ita vox *incorruptelae*, quae saepe apud Tertullianum[104]) et Irenaeum[105]) occurrit, et vox *incorruptibilitatis*, quam cum Vulgata nonnisi ep. Petri I 3, 4 tum Tertullianus Irenaeus alii nonnumquam adhibent[106]), postea superatae sunt voce *incorruptionis*, cui Italae interpretes et Hieronymus praecipue faverunt.

Ἀγένητον καὶ ἀίδιον καὶ ἄφθαρτον τὸν κόσμον Xenophanem Parmenidem Melissum docuisse tradit Aetius II 1, 2 (Parm. 18 A 36 D.) atque IV 7, 1 (Anaxag. 46 A 93 D.): *Πυθαγόρας μὲν καὶ Ἀναξαγό-*

---

101) Cf. ep. ad Rom. 2, 7; ep. ad Cor. I 15, 42; ep ad Eph. 6, 24; ep. ad Tim. II 1, 10.

102) Cf. ep. ad Cor. I 15, 42. 50. 53. 54.

103) Postea adhibent vocabulum *incorruptionis* Novat. trin. 4 p. 921 B; Hil. in Matth. 4, 10; 5, 12; in ps. 1, 18; Filastr. 80, 5; Ambr. off. 1, 18, 17; Cain et Ab. 2, 9, 36; bon. mort. 4, 15; Iac. 2, 11, 50; Hier. epist. 14, 11, 1; 59, 3, 2; 96, 15; in Ez. 13, 43 p. 521 Vall. bis; c. Ioh. 36; adv. Iovin. 1, 7; adv. Rufin. 1, 28 sq.

104) Cf. resurr. 42; 51; 52 et saepius; adv. Marc. 3, 24; 5, 10. 12.

105) Cf. I 10, 1. 3; 29, 2; II 13, 9; 17, 3; IV 36, 7.

106) Cf. Tert. resurr. 36. 38. 50; adv. Val. 14; adv. Marc. 2, 16; apol. 48, 13; ux. 1, 7; cult. fem. 2, 6; Iren. I 30, 14; III 11, 8 et postea.

ϱας καὶ Διογένης ἄφϑαρτον εἶναι τὴν ψυχὴν ἀπεφήναντο. Tamen iam hos antiquos philosophos ipsos vocabulum *ἄφϑαρτος* adhibuisse non est verisimile. Aristotelem cum in ceteris operibus tum praecipue in libro qui de caelo inscribitur saepe hoc vocabulo usum esse ex Bonitzi indice cognoscas[107]). Postea usurpant idem vocabulum Ps. Philolaus (*περὶ ψυχῆς* 32 B 21 D); Chrysippus (Diog. L. VII 136 = II p. 111, 5 Arnim); Epicurus (epist. 1 p. 29 U.); Philodemus (de deis, cf. Diels ABA 1916, 3 p. 19 fr. 88b 6; p. 36 col. 12, 22; p. 54 fr. 39 d 5); Diodorus 1, 6; Dion. Hal. 8, 62; praecipue Philo Alexandrinus[108]).

Cicero ceterique scriptores Latini antiqui, cum de deis hominumque animis et de mundo egerant, pro Graeco *ἄφϑαρτος* vocabula *aeternus*, *immortalis*, *incorruptus* vel similia adhibere soliti erant. Christiani autem scriptores verbum e verbo exprimere maluerunt, qua de causa novum finxerunt vocabulum *incorruptibilis*, quod primum legimus apud Tertullianum[109]). Si inquires, qua ratione Hieronymus utatur in vocabulo *ἄφϑαρτος* vertendo, invenies eum in Novo Testamento ter vocabulum *incorruptibilis* adhibere[110]), bis *incorruptus*[111]), semel *immortalis*[112]) atque ep. Petri I 3, 4 legimus in codice r et Vulgata *in incorruptibilitate*; in Ps. Aug. Speculo *incorruptus*. Ep. ad Cor. I 15, 52 non solum Vulgata, sed etiam omnibus Italae codicibus (d f g Tert. m) vocabulum *incorruptus* traditum iure adhiberi videtur, quoniam de hominibus agitur, qui eodem corpore quo vixerant praediti ultimo die resurgent. Quae ratio deest ep. ad Cor. I 9, 25, ubi Paulus de corona agit, qua pii Christiani digni sunt. Italae codices, qui ceteris locis cum Vulgata consentiunt[113]) praeter ep. ad Tim. I 1, 17, ubi cum Vulgata d f

---

[107]) Cf. de caelo 11, 281 a 3: *τὸ κυριώτατα λεγόμενον ἄφϑαρτον τῷ μὴ δύνασϑαι φϑαρῆναι*; 12, 282 a 31: *τό τε ἀγένητον ἄφϑαρτον καὶ τὸ ἄφϑαρτον ἀγένητον* etc.

[108]) Cf. indicem editionis Cohn-Wendland.

[109]) Cf. anim. 24; adv. Marc. 1, 25; tum occurrit hoc vocabulum apud Iren. I 21, 5; II 5, 3; 7, 1; Novat. trin. 4, 39; Arnob. adv. nat. 2, 30. 55; Lact. inst. I 3, 9. 23; IV 6, 1; epit. 3, 1; 68, 5; Lucif. Ath. 1. 33; mor. esse 1. 12. 13. 14; Ambr. fid. 2, 13, 115; in ps. 39, 19 et saepius; Noe 5, 12; Abr. 2, 1, 3; fug. saec. 6, 35; Hier. epist. 18B 1 (17), 3 et postea.

[110]) Cf. ep. ad Rom. 1, 23; ep. Petri I 1, 4. 23.

[111]) Cf. ep. ad Cor. I 9, 25; 15, 52.

[112]) Cf. ep. ad Tim. I 1, 17.

[113]) Cf. ep. ad Rom. 1, 23 (d g m) et ep. ad Cor. I 15, 52 (d f g Tert. m); desunt Italae testimonia ep. Petri I 1, 4. 23.

Tert. *immortali* tum codices g r *incorruptibili* tradunt, dissentiunt inter se ep. ad Cor. I 9, 25. Nam *incorruptam* legimus in f m Vulg. et apud Cyprianum, *incorruptibilem* (vel *incorruptam*) in codice g, *incorruptibilem* in d et apud Irenaeum, *aeternam* apud Tertullianum.

κληρονομία, κληρονομεῖν

Saepe in Litteris Sanctis homines et liberi Dei appellantur et heredes regni illius divini et aeterni, cuius se vita huius mundi defunctos participes fore sperant. Multis locis, quibus de hac spe agitur, vocabula κληρονόμος, κληρονομία, κληρονομεῖν legimus, quae in Bibliis Latinis redduntur vocabulis *heres, hereditas, possessio*[114]) *hereditare, possidere* et similibus.

Cum cetera vocabula iam antea in sermone Latino occurrant, verbum *hereditandi* primum in Italae codicibus invenimus. Hieronymum autem huic verbo non favisse ex ea re apparet, quod in Vulgata non occurrit nisi ep. ad Hebr. 1, 4; 6, 12; 12, 17; quae epistula a Vulgatae usu sermonis saepe differt[115]), neque in Italae codicibus verbum *hereditandi* semper legimus, sed interpretes verbum κληρονομεῖν aliis quoque verbis reddunt, id quod cognoscas ex hac tabula:

Matth. 5, 5: *hereditabunt* d f k Cypr. Ir. (bis), *hereditate possidebunt* a Ir. (semel), *possidebunt* cett. Vulg.
— 19, 29: *hereditabit* d Ir., *consequetur* c e, *possidebit* cett. Vulg.
— 25, 34: *hereditate possidete* d, *percipite* Cypr. (quinquies), Ir., *possidete* cett. Vulg.
Marc. 10, 17: *accipiam* c, *consequar* k, *possideam* a f l q, *percipiam* cett. Vulg.

---

114) In Novo Testamento et Itala et Vulgata semper tradunt vocabulum *hereditatis* praeter ep. ad Hebr. 11, 8, ubi cod. d *in possessione* praebet. In Vetere Testamento cum plerumque vocem *hereditatis* tum nonnumquam vocem *possessionis* legimus. In Patrum apostolicorum operibus nonnisi vox *hereditatis* invenitur.

115) De vocabulis in ep. ad Hebr. adhibitis egit A. de Harnack, Studien zur Vulgata des Hebräerbriefs, SBA, phil.-hist. Kl. 1920, 5 p. 182sqq.

Luc. 10, 25: *hereditabo* d e, *consequar* c Tert., *possidebo* cett. Vulg.
— 18, 18: *hereditabo* d, *consequar* e, *videbo* b, *possidebo* cett. Vulg.
ep. ad Cor. I 6, 9: *hereditabunt* r Ir., *consequentur* Cypr., *possidebunt* d f Vulg.
— 6, 10: *consequentur* Cypr., *possidebunt* d f r Ir. m Vulg.
— 15, 50: 1. *hereditate possidere* Tert. (bis) Ir. (bis), *hereditabunt* (*possidebunt*) g, *consequi* Tert. (bis), *possidebunt* d f Tert. (decies) Ir. Vulg.
2. *hereditate habebit* Tert., *possidebit* d f g Vulg.
ep. ad Gal. 4, 30: *heres erit* Itala Vulg.
— 5, 21: *hereditabunt* Ir., *hereditabunt* (*possidebunt*) g, *sunt consecuturi hereditate* Tert., *possidebunt* d Cypr., *consequentur* f Vulg.
ep. ad Hebr. 1, 4: *possidet* d, *hereditavit* f Vulg.
— 1, 14: *propter possessuros* d, *hereditatem capient* f Vulg.
— 6, 12: *potiuntur* d, *hereditatem consequuntur* r, *hereditabunt* f Vulg.
— 12, 17: *accipere* d, *hereditare* f Vulg.
ep. Petri I 3, 9: *hereditate possideatis* m Vulg.
apoc. 21, 7: *possidebit* g Cypr. Prim. Vulg.

In Vetere Testamento plerumque verbum *possidendi*[116]) occurrit praeter librum Psalmorum et librum Ecclesiastici, ubi crebrius verbum *hereditandi* legimus[117]). Scriptores ecclesiastici verbum *hereditandi* non adhibent nisi iis locis, quibus Litterarum Sanctarum sententias afferunt[118]). Apud Patres apostolicos hoc verbum occurrit Herm. vis. 3, 8, 4 (p)[119]) et ep. Clem. I 36, 2, ubi ep. ad Hebr. 1, 4 affertur. In Barnabae epistula legimus 13, 1 *hereditatem capit*, 14, 5 *hereditatem accipiamus*; in Clementis epistula prima 10, 2 *heres fit*, 16, 3 *heres erit*. *Possidebunt* tradunt Did. 3, 7 et Pol. ad Philipp. 5, 3 (= ep. ad Cor. I 6, 10).

---

[116]) Cf. gen. 15, 7. 8; 22, 17; 24, 60; 28, 4 etc.

[117]) Cf. ps. 24 (25), 13; 36 (37), 9. 11. 22. 29; Sirach 4, 13 (14); 6, 1; 10, 11 (13); 19, 3; 20, 25 (27); 24, 8; 37, 26 (29); 39, 23 (28); 45, 22 (27), tum porro Os. 9, 6; Is. 14, 21; 54, 3; 60, 21; 65, 9; Macc. I 2, 10.

[118]) Cf. Cypr. test. 3, 5 = Matth. 5, 4; sent. episc. 5 = ep. ad Gal. 5, 19; Hil. myst. p. 25, 3 Gam. = Matth. 5, 4; at cf. Hier. adv. Ruf. 2, 6.

[119]) Vulgata praebet *heres erit*.

δοξάζειν

Verbum *δοξάζειν* cum in sermone Graeco plerumque eandem fere vim habeat ac verba Latina *opinandi* vel *existimandi*, in Litteris ecclesiasticis idem significare solet atque verba *praedicandi* vel *celebrandi*, qua vi apud antiquos scriptores Graecos primum adhiberi videtur a Dionysio poeta comico, qui hos versus fecit (fr. 2, 24 = CAF ed. Kock 2 p. 424): *Ἀρχέστρατος γέγραφέ τε καὶ δοξάζεται παρά τισιν οὕτως ὡς λέγων τι χρήσιμον.* Tum legimus apud Polybium hist. 6, 53, 10, qui laudationes Romanorum funebres describit, hanc sententiam: *τὸ γὰρ τὰς τῶν ἐπ' ἀρετῇ δεδοξασμένων ἀνδρῶν εἰκόνας ἰδεῖν ὁμοῦ πάσας οἷον εἰ ζώσας καὶ πεπνυμένας τίν' οὐκ ἂν παραστήσαι;* In lapide Syenae invento, cuius inscriptio anno centesimo quinto decimo ante Chr. n. orta esse videtur, haec verba occurrunt (Ditt. OGI 168, 56): *ἐν Ἐλ]εφαντίνηι ἱεροῦ δεδοξασμένου ἐξ ἀρχαίων.* Participii perfecti formam etiam apud Diodorum 16, 82 invenimus: *Κέφαλος ὁ Κορίνθιος, ἀνὴρ ἐν παιδείᾳ καὶ συνέσει δεδοξασμένος.* Tum demum Appianus hoc vocabulo usus est bell. civ. 2, 97: *καὶ τὸ τοῦ Καίσαρος κλέος εἰς ἄμαχον εὐτυχίαν ἐδοξάζετο.* Neque vero ullum locum invenies, ubi deos celebrari verbo *δοξάζειν* significetur, qua vi hoc verbum in Litteris Sanctis et apud scriptores ecclesiasticos praecipue adhibetur. Videmus igitur in sermone Graeco verbi *δοξάζειν* vim magis magisque mutari. Cum apud antiquiores scriptores Graecos id verbum numquam occurrat locis qui ad religionem pertineant, nisi inscriptionem illam Syenae inventam huc pertinere censeas, in Litteris Sanctis plerumque de gloria Dei aut Christi agitur aut de vita aeterna, quam Deus piis hominibus huius mundi vita defunctis donat.

Si inquiremus, quo modo *δοξάζειν* illud Graecum in sermone Latino reddatur, et in Vetere et in Novo Testamento tria verba adhiberi cognoscemus, quae nihil inter se vi differre videntur: *glorificare*, *magnificare*, *honorificare*, atque in Novo Testamento praeterea verbum *clarificandi* occurrit. Et in Italae codicibus et in Hieronymi versione Novi Testamenti omnia quattuor verba adhiberi cognoscas ex tabula, quam ex singulis Italae codicibus et Vulgata contuli:

Matth. 5, 16: *clarificent* k Cypr. Ir., *magnificent* a b g_1 h q r, *glorificent* aur c d f ff_1 gat 1 Vulg.

Matth. 6, 2: *clarificentur* k Cypr., *glorificentur* d, *honorificentur* cett. Vulg.
— 9, 8: *clarificaverunt* k Ir., *honorificaverunt* a b c g_1 h q, *glorificaverunt* aur d f ff_1 gat 1 Vulg.
— 15, 31: *clarificabant* e k, *glorificaverunt* d, *magnificabant* cett. Vulg.
Marc. 2, 12: *clarificarent* e, *honorificarent* cett. Vulg.
Luc. 2, 20: *laudantes* gat, *honorificantes* d, *magnificantes* a aur b c e ff_2 l q r_1, *glorificantes* f Ir. Vulg.
— 4, 15: *honorem accipiens* a, *gloriam accipiens* d, *magnificabatur* cett. Vulg.
— 5, 25: *clarificans* e, *honorificans* a d, *magnificans* cett. Vulg.
— 7, 16: *clarificabant* e, *honorificabant* a c d, *magnificabant* cett. Vulg.
— 13, 13: *clarificabat* e, *honorificabat* a d, *magnificabat* b ff_2 i l q r, *glorificabat* aur f gat Vulg.
— 17, 15: *clarificans* e, *honorans* d, *honorificans* a s, *magnificans* cett. Vulg.
— 18, 43: *clarificans* e, *honorans* d, *honorificans* a, *magnificans* cett. Vulg.
— 23, 47: *clarificabat* c, *honorificavit* a d, *laudes referebat* Tert., *magnificabat* b e ff_2 l q r, *glorificavit* aur f gat Vulg.
Ioh. 7, 39: *fuerat clarificatus* c, *erat c.* e, *honorificatus* b ff_2 l q r, *fuerat honoratus* a d, *erat glorificatus* aur f gat Vulg.
— 8, 54: 1. *clarifico* aur c e ff_2 l, *honorifico* b d q r, *glorifico* a f gat Tert. Vulg.
2. *clarificat* c e ff_2 l, *honorificat* b d q r, *glorificat* a aur f gat Tert. Vulg.
— 11, 4: *clarificetur* b c ff_2, *honorificetur* l, *magnificetur* a e, *glorificetur* aur d f gat Vulg.
— 12, 16: *clarificatus est* b ff_2 l *ho[norificatus* r, *glorificatus est* a d e f gat Vulg.
— 12, 23: *honorificetur* a l r, *glorificetur* d e Vulg.-W., *clarificetur* aur b c f ff_2 gat Vulg.-C.
— 12, 28: 1. om. r, *honorifica* a, *glorificetur* e, *glorifica* d Tert., *clarifica* cett. Vulg.
2. *glorificavi — glorificabo* d Tert., *honorificavi — honorificabo* a e r, *clarificavi — clarificabo* cett. Vulg.
— 13, 31: 1. *glorificatus est* d e Tert., *honoratus est* a, *honorificatus est* l q, *clarificatus est* cett. Vulg.

2. *glorificatus est* d e Tert., *honorificatus est* a l q r, *clarificatus est* cett. Vulg.

— 13, 32: 1. om. a b c d ff_2, *honorificatus est* q r, *glorificatus est* e, *clarificatus est* aur f gat l[2] Vulg.

2. *glorificabit* d e Tert., *honorificabit* a q r, *clarificabit* cett. Vulg.

3. *glorificabit* d e, *honorificabit* a l q r, *clarificabit* cett. Vulg.

— 14, 13: *magnificetur* e, *clarificetur* c ff_2, *honorificetur* a b f q, *glorificetur* aur d gat Vulg.

— 15, 8: *glorificatus est* d e, *honorificabitur* a, *honorificatus est* q r, *clarificatus est* aur b c f ff_2 gat Vulg.

— 16, 14: *clarificat* f, *glorificavit* d e, *honorificabit* a q, *clarificabit* aur b c ff_2 gat m Vulg.

— 17, 1: 1. *glorifica* d, *honorifica* a q r, *clarifica cett.* Vulg.
2. *honorificet* a d q r, *clarificet* cett. Vulg.

— 17, 4: *honorificavi* a d q r, *clarificavi* cett. Vulg.

— 17, 5: *glorifica* f, *honorifica* a d q r, *clarifica* cett. Vulg.

— 17, 10: *glorificasti me* d, *glorificatus sum* f, *honorificatus sum* a q r, *clarificatus sum* cett. Vulg.

— 21, 19: *honoraret* r, *honoratus esset* e, *honorificabit* d, *honorificaturus esset* a, *clarificaturus esset* cett. Vulg.

act. 3, 13: *honorificavit* p, *clarificavit* d h, *glorificavit* e g Ir. Vulg.

— 4, 21: *gloriabant* e, *honorificabant* g, *magnificabant* p, *clarificabant* d Vulg.

— 11, 18: *glorificaverunt* e g, *magnificaverunt* p, *clarificaverunt* d Vulg.

— 13, 48 (v. l.): *receperunt* g, *exceperunt* d, *glorificabant* e Vulg.

— 21, 20: *magnificaverunt* g, *clarificaverunt* d, *gloriabant* e, *magnificabant* Vulg.

ep. ad Rom. 1, 21: *magnificaverunt* d, *glorificaverunt* g Vulg.

— 8, 30: *magnificavit* d, *magnificavit* (*glorificavit*) f, *glorificavit* (*magnificavit*) g, *glorificavit* Vulg.

— 11, 13: *glorificabo* f g, *honorificabo* d Vulg.

— 15, 6: *glorificetis* r, *magnificetis* m, *honorificetis* d f g Vulg.

— 15, 9: *glorificare* r, *honorare* d f g Vulg.

ep. ad Cor. I 6, 20: *clarificate* Cypr. (quater), *glorificate* d f g r Tert. Ir. m Vulg.

— 12, 26: *glorificetur* d, *gloriatur* f g Vulg.

— II 3, 10: *glorificatum est, quod gloriosum claruit* g, *glorificatum est, quod gloriosum factum est* d, *glorificatum est, quod claruit* f Vulg.

— 9, 13: *magnificantes* d g, *glorificantes* f r Vulg.

ep. ad Gal. 1, 24: *magnificabant* d g, *clarificabant* f Vulg.

ep. ad Thess. II 3, 1: *magnificetur* d, *magnificetur* (*glorificetur*) g, *clarificetur* f Vulg.

ep. ad Hebr. 5, 5: *magnificavit* d, *clarificavit* f Vulg.

ep. Petri I 1, 8: *honorificata* r, *glorificata* Vulg.

— 2, 12: *magnificent* Cypr. (bis) *glorificent* Vulg.

— 4, 11: *glorificetur* r, *honorificetur* Vulg.

— 4, 14: *honoratur* Cypr., *honorificatus* r Vulg.

— 4, 16: *glorificet* r Tert. Vulg.

apoc. 15, 4: *dabit gloriam* h, *dabit claritatem* Prim., *magnificabit* g Vulg.

— 18, 7: *clarificavit* Cypr. Prim., *magnificavit* m, *glorificavit* g Vulg.

Apparet in Italae codicibus quattuor illa verba *magnificandi, glorificandi, honorificandi, clarificandi* sine ullo discrimine tradi, neque Hieronymus certam est secutus rationem, quamquam verbum *clarificandi* vitasse videtur, id quod ex ea re concludimus, quod neque in Vetere Testamento umquam hoc verbo usus est neque in Matthaei Marci Lucae evangeliis, quos libros diligentius correxit quam ceteram Novi Testamenti partem. Epist. 39, 2 Hieronymus de verbo δοξάζειν vertendo haec scribit: *„Universum semen Iacob magnificate eum“ (ps. 21, 24), pro quo in Graeco scriptum sit δοξάσατε αὐτόν id est „glorificate eum“. Sed sciendum quod ubicumque in Graeco scriptum est „glorificate“, Latinus interpres „magnificate“ transtulerit, secundum illud quod in Exodo dicitur „Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est“ (Exod. 15, 1), pro quo in Graeco scribitur „glorificatus est“, sed in Latino sermone si transferatur fit indecora translatio; et nos emendantes olim Psalterium, ubicumque sensus idem est, veterum Interpretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimia novitate lectoris studium terreremus.*

Etiam Tertullianum Cyprianum ceterosque scriptores ecclesiasticos verbo *clarificandi* minus favisse quam Litterarum Sanctarum interpretes ex Thesauro L. L. cognoscitur. Nam apud Tertullianum legimus verbum *clarificandi* nonnisi adv. Iud. 5, ubi

affertur Mal. 1, 11: *nomen meum clarificatum est in gentibus.* Cyprianus hoc verbo nonnisi in epistulis usus est, cf. epist. 59, 11: *clarificato die et sole oborto*, tum in imagine de Christo epist. 73, 18: *a quo* (sc. patre) *clarificari petierit Christus*, et de Christianis, qui Deum celebrant, epist. 81: *quod congruat episcopum . . . dominum confiteri et plebem universam praepositi praesentis confessione clarificare.* Tum porro legimus in Irenaei versione Latina 1, 12: *hos autem Aeonas . . . volentes et ipsos de suo clarificare Patrem.* Ambrosius utitur hoc verbo et proprie[120]) et de glorificatione piorum hominum[121]), quo sensu Hilarius quoque hoc verbum semel adhibet (in Matth. 4, 3). Hieronymus usurpavit verbum *clarificandi* neque in Vetere Testamento, id quod iam supra commemoravimus, neque in ceteris operibus suis nisi in commentario in Isaiam scripto (9 praef. p. 369 sq. Vall.): *cum Moyse ingrediamur nubem et caliginem, ut clarificetur vultus noster.* Ita verbo *clarificandi* cum in Italae codicibus pluribus locis tradatur, scriptores ecclesiasticos minus favisse apparet quam ceteris verbis, quibus *δοξάζειν* illud exprimerent.

Primi auctores ecclesiastici verbum *glorificandi* adhibere maluerunt, quod antea in sermone Latino non est traditum[122]). Sed etiam verbum *magnificandi* iam a primis scriptoribus Christianis pro Graeco illo *δοξάζειν* usurpatum et nova vi ornatum est. Plautus enim hoc verbo idem fere significari vult ac verbis *magni facere* vel *laudare*, cf. Stich. 101: *pudicitia est . . eos nos magnificare, qui nos socias sumpserunt sibi* et Men. 370 sq.: *quia pol te unum ex omnibus / Venus me voluit magnificare.* Auctor ille, qui opus de ratione dicendi ad Herennium scripsit, hoc verbo utitur 3, 4, 8: *quod in docendo rei dilucidae magnificandae causa dolum appellavimus.* Tum verbum *magnificandi* non prius legitur quam in Plinii quod naturalis historia inscribitur opere, ubi idem fere significat ac verba *magni facere, praedicare, laudare*[123]). Numquam

---

[120]) Cf. hex. 1, 9, 35: *diem sol clarificat.*

[121]) Cf. virg. 14, 87: *patriarcharum lumine clarificati iusti.*

[122]) Cf. Tert. idol. 22; bapt. 16; ieiun. 7; anim. 26; resurr. 47; adv. Prax. 15; adv. Marc. 4, 18; monog. 2; fug. 9; Ir. 2, 1, 5; 4, 26, 1; Cypr. epist. 69, 3; Hil. trin. 1, 33; in ps. 56, 8; Lucif. Ath. 1, 44; Auson. rhop. 40; Hier. epist. 18 A 10, 3; 36, 15, 4; 54, 17, 4; 64, 1, 1; 65, 7, 3; in Ier. 6, 9, 4; in Mal. 1 p. 947 Vall.; comm. in ps. ed Morin 14.

[123]) Cf. 17, 50; 20, 7; 28, 220; 30, 82; 35, 155; 36, 41. 83.

vero antiquiores scriptores hoc verbum adhibuisse videntur locis, quibus de religione et deorum cultu agitur, id quod primus Tertullianus fecit; hos locos ex Thesauri L. L. schedis haustos afferre liceat: scorp. 5: *magnifica bono tuo deum tuum*; resurr. 10; cult. fem. 2, 11; praescr. 23[124]). Verbum *honorificandi* in Italae codicibus non multo rarius quam verba *glorificandi* et *magnificandi* traditum neque Tertullianus neque Cyprianus novisse videntur. Sed apud posteriores scriptores hoc verbum saepius legitur[125]).

Quam rationem vertendi interpretes in Patrum apostolicorum operibus secuti sint, hac tabula demonstrare liceat:

ep. Barn. 6, 16 (cit.): *magnificabor*
— 11, 9: *magnificat*
Polyc. mart. 1, 3 (cit.): *glorificato*
— 8, 2: *glorificemus*
ep. Clem. I 17, 5: *honoratus*
— 32, 3: *glorificati sunt*
— 35, 12 (cit.): *honorificavit*
— 43, 6: *honorificaretur*
— 52, 3: *glorificabis.*
Herm. vis 1, 1, 3: *gratularer* p, *honorificans* Vulg.
— 2, 1, 2: *laudare* p, *honorificare* Vulg.
— 3, 4, 2: *laudabunt* p, *honorificabunt* Vulg.
— 3, 4, 3: *laudaretur* p, *honorificetur* Vulg.
— 4, 1, 3: *laudaretur* p, *honorificetur* Vulg.
— 4, 1, 4: *laudante* p, *honorificarem* Vulg.
mand. 3, 1: *honoretur* p, *magnificetur* Vulg.
— 5, 2, 3: *benedicit* p, *honorificans* Vulg.
sim. 6, 1, 1: *cum orarem* p, *glorificarem* Vulg.
— 6, 3, 6: 1. *dant honorem* p, *dant honorem* Vulg.
2. *gratias agent* p, *gratias agunt* Vulg.
— 8, 6, 3: *dent honorem* p, *dant honorem* Vulg.

---

[124]) Cf. etiam Ir. 1, 29, 1; Comm. apol. 349; Firm. math. 3, 12, 16; Mar. Victorin. in Gal. 1, 24; Hil. in ps. 51, 8; Lucif. non conv. 4; Ath. 1, 38; Dictys 2, 18; Ambr. hex. 1, 517 = ps. 103, 24; serm. 9, 3; in ps. 40, 24; Ambrosiast. in Rom. 15, 11; Hier. hom. Orig. in Luc. 8 p. 250; in Mich. 2, 5 p. 492 Vall.

[125]) Cf. Ir. I 29, 2; 30, 10; Lact. inst. 2, 5, 3; 7, 24, 15; ira 24, 2; Hil. in ps. 2, 10; Lucif. Ath. 1, 10; Ambr. fid. 1, 9, 61; Ambrosiast. in Rom. 1, 21; 5, 14; in Cor. I 3, 7; 15, 27; Hier. in Mal. 1 p. 947 Vall.; epist. 65, 14, 6.

sim. 9, 18, 5: *honoret* p, *honoret* Vulg.
— 9, 28, 5: *honorare* p, *honorare* Vulg.

Cum Barnabae epistulae interpres utroque loco verbum *magnificandi* et Polycarpi martyrii interpres utroque loco verbum *glorificandi* adhibeant, in Clementis epistula prima bis verbum *honorificare*, bis *glorificare*, semel *honoratus* leguntur. Hermae Pastoris operis interpretes in prioribus libris non solum inter se multum differunt, sed cum versionis Palatinae libro primo praeter 1, 1, 3 (*gratularer*) semper verbum *laudandi* tradatur, in libris secundo et tertio varia verba leguntur, et cum versionis Vulgatae libro primo semper verbum *honorificandi* tradatur, in libro secundo semel verbum *honorificandi* semel *magnificandi* adhibetur, in tertio autem libro hanc versionem praeter 6, 1, 1 semper cum versione Palatina congruere cognoscimus.

His quaestionibus demonstratum est Romanos in Litteris Sanctis ex Graeco sermone in Latinum vertendis pro iis vocabulis Graecis, quae vocabulis in sermone Latino usitatis exprimere non potuerunt, plerumque nova finxisse vocabula, quae antea non occurrunt[126]). Nonnumquam Graeca illa vocabula ipsa in sermonem Latinum receperunt[127]). Rarius vocabula iam antea usitata nova vi ornaverunt[128]). Magnum numerum vocabulorum novorum iam Tertullianus et Cyprianus adhibuerunt[129]), neque vero desunt

[126]) Cf. *discooperire* (p. 13sqq.), *denudatio, revelatio* (p. 17sq.), *salvator* (p. 19sq.), *salvare* (p. 20sqq.), *bene nuntiare* (p. 26sqq.), *poeniteri* (p. 29sqq.), *sanctificare* (p. 35sqq.), *sanctificatio* (p. 37sq.), *iustificare, iustificatio* (p. 39sqq.), *incorruptio, incorruptela, incorruptibilis* (p. 42sqq.), *hereditare* (p. 45sq.), *glorificare, honorificare, clarificare* (p. 47sqq.).

[127]) Cf. *apocalypsis* (p. 17), *evangelium, evangelista, evangelizare* (p. 26sqq.), *baptizare, baptista, baptismus* etc. (p. 33sqq.).

[128]) Cf. *revelare* (p. 13sqq.), *poenitentia, poenitudo* (p. 29sqq.), *tinguere* (p. 33sqq.), *magnificare* (p. 47sqq.).

[129]) Cf. *revelare, revelatio*; *apocalypsis*; *salvator, salvare*; *evangelium*; *sanctificare, sanctificatio*; *iustificare, iustificatio*; *incorruptela, incorruptibilis*; *glorificare, clarificare*.

vocabula, quae apud hos scriptores nondum invenimus[130]). Sed vocabulis quibusdam a Tertulliano solo adhibitis, quae in Itala et Vulgata non occurrunt[131]), demonstratum est hunc scriptorem nonnumquam propriam interpretandi rationem secutum esse neque ullo Italae codice eam versionem tradi, quam Tertullianus aut legerit aut ipse confecerit. Hieronymus nova vocabula non finxit, sed nonnulla vocabula, quibus Italae interpretes faverant, aut raro aut nusquam adhibuit[132]). Denique Italae interpretes ex compluribus vocabulis solere intellexeris tum hoc tum illud adhibere neque vero semper certam quandam sequi rationem interpretandi.

---

[130]) Cf. *evangelista, benenuntiare*; *poenitudo*; *baptizare, baptista*; *hereditare*; *honorificare*. Vocabula *evangelizandi* et *incorruptibilis*, quae apud Tertullianum iam legimus, nondum occurrunt apud Cyprianum, contra vocem *incorruptionis*, qua Cyprianus utitur, Tertullianus nondum adhibuisse videtur.

[131]) Cf. *salutificator* (p. 19sq.), *evangelizator* (p. 26), *baptizator* (p. 34), *sanctificium* (p. 37).

[132]) Cf. *benenuntiare*; *tinguere, tinctio*; *sanctimonium*; *incorruptela, incorruptibilitas*; *hereditare*; verbum *clarificandi* Hieronymus vitasse videtur.

VITA

Natus sum Berolini non. Iun. anni MCMIX patre Arthuro matre Elisabeth e gente Walter. Fidei addictus sum evangelicae. Ab anno MCMXV frequentavi patriae urbis scholam quae vocatur Staatliches Prinz Heinrichsgymnasium, ubi anni MCMXXVII vere maturitatis testimonium nactus sum. Tum civibus almae litterarum Universitatis Berolinensis adscriptus imprimis studiis philologis historicis theologis operam dedi neque alio me contuli. Docuerunt me viri doctissimi Beckmann, Bertholet, Deißmann, Dessoir, Deubner, Fabricius, H. Fuchs, W. Iaeger. Liebert, Lietzmann, Lütgert, Maas, Maier, Noack †, E. Norden, Rieffert, C. Schmidt, F. I. Schmidt, E. Seeberg, Sellin, Spranger, Titius, de Wilamowitz-Moellendorff †, Wilcken, quibus omnibus meritas ago gratias, praecipue Eduardo Norden, qui studiis meis semper benevolentissime favit. Proseminarii philologi et inferiori et superiori ordini per singulos annos interfui. Seminarii philologi sodalis ordinarius fui per bis senos menses viris doctissimis L. Deubner E. Norden ducibus. Praeterea Udalrici Wilcken seminarium historicum per sex menses, Adolphi Deißmann seminarium, in quo de Novo Testamento agitur, et Iohannis Lietzmann in quo historiae ecclesiasticae tractantur seminarium per singulos annos frequentavi.

Parentibus optimis, qui mihi in tanta temporum iniquitate et incipiendi studia et conficiendi dederunt facultatem, quantum debeam hoc loco liceat confiteri.

Berlin-Schöneberg,
Leuthenerstr. 6[1].

Walter Matzkow.